Haven, Ade

EWBERRY
LIBRARY
CHICAGO

SENN COLLECTION

BOSTON MEDICAL LIBRARY

PURCHASED FROM FUNDS GIVEN BY

DR. JOHN MARTYN HARLOW

ANTONII DE HAEN

S. C. A. MAJESTATIS CONSILIARII
ET ARCHIATRI,
NEC NON
MEDICINÆ IN HAC ALMA ET ANTIQUISSIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PROFESSORIS PRIMARII,

VINDICIÆ DIFFICULTATUM

CIRCA
MODERNORUM SYSTEMA
DE
SENSIBILITATE
ET
IRRITABILITATE
HUMANI CORPORIS,
CONTRA
VIRI PERILLUSTRIS, ATQUE CLARISSIMI
ALBERTI v. HALLER,
AD
EASDEM DIFFICULTATES
APOLOGIAM.

VIENNÆ AUSTRIÆ,
SUMPTIBUS HERMANNI JOSEPHI KRÜCHTEN.

M. DCC. LXII.

2.3979 Hav. 1 80

19. E. 112.

BOSTON MEDICAL
APR 24 1928
LIBRARY

SUſcepi, Perilluſtris, ac Celeberrime HALLERE, quam adverſus meam Difficultatum Diſſertationem, compoſueris, Apologiam. Dolui legendo Te cauſam tueri velle, quæ, ut tua ita vocata Apologia manifeſte docet, nullam omnino Apologiam admittat. Interim minus læſæ famæ per te meæ intuitu, quam Artis amore, reſpondebo: ut demum per ipſam hanc tuam ita vocatam Apologiam, vera tua intentio, & agendi in medicis ratio, clare innoteſcat. Si brevitatis cauſa ſenſum modo, non verbotenus, quæ hic dicis,

7189
214084

cis, referam, prævideo ut, qui Apologia tua carentes, meum reſponſum legent, ſuſpicentur demum me ſubinde jocari, ſubinde falſa referre: hinc operæ pretium fore judicavi, ut verba ipſiſſima tua referam, ad quæ reſpondeo; utque ita tota Apologia tua caractere *curſivo*, quo a meis reſponſis discernatur, legatur expreſſa. Sic præfaris:

Non absque dolore Clariſſime HAENI *tuas, quas vocas Difficultates, circa Modernorum Syſtema de Senſibilitate & Irritabilitate, vidi, quas ineunte an.* 1761. *edidiſti. Amavi Te, Vir Clar., ornavi, ut potui, omnibus, quæ in bene meritum virum poſſent cadere, laudibus. Nunc id amoris pretium retuli, ut a Te proprio libro, & ea dictione ſcripto, impugner, quam Tu ipſe fatearis duriorem & ſignificantiorem, quam uſus toleret.*

Ad hanc tuam Præſationem, Vir Ill., multum boni ab ipſo opere hoc tuo augurare non debui. Conquereris de eo, quod laudare debuiſſes; quodque laudare conveniſſet, vituperas. Conquereris ſcilicet quod, dum cunctis me ornaveris honoribus, in ſcriptis tuis, ego proprio Te opere impugnem. Vilisne adeo animi homo a Te exiſtimabar, ut propter laudes mihi datas, tributosque honores, proprii officii & conſcientiæ immemor, ea & laudarem, & promulgarem, quæ bene, maleve, erronea crederem? Expoſtulare certe hanc ignominiam tecum debeo; gaudeoque illam & ſcribendo olim, & nunc reſpondendo, a me depuliſſe. Noli, quæſo, tanto prætio tuam vendere amicitiam! Equidem magni illam facio, & continuatam eandem mihi vehementer exopto; haud vero condi-

tione tam turpi. Si amicitiam non niſi hac conditione colas, impedies quoscumque honeſtos viros amicitiam poſſe ambire, ſervareve, tuam.

Notam hic addis: *Eo refer* FAMOSI *titulum Operi meo impoſitum pag.* 150. *cujus vocis puto odioſam vim Clar. Vir non intellexit.*

Quod mœchus foret, aut ſiccarius, aut alioquin
FAMOSUS. *Horat. Satyr. IV.*

Utinam hanc notam non appoſuiſſes! Non coegiſſes me ad Autores Lexigraphos te remittere debere. Hos ſi vel obiter percurras, videbis FAMAM, FAMOSUM, GLORIOSUM, &c. a Cicerone, C. Nepote, Seneca, Tacito, ipſo, quem laudaſti, Horatio, T. Livio, Plinio, in bonam, malamve partem ſumi; ſenſum autem ipſum, modumque loquendi, tan-

dem

dem indicare, in bonamne, an malam partem, illa intelligant. *Famoſos* igitur hos Autores conſuluiſſe Te oportuiſſet, antequam Adverſarium tuum *famoſum* redderes. Doleo ſane Tui cauſa, ob iniquam hanc notam; Lectores enim, dum ipſo in limine videbunt Te jam nodum in ſcirpo quærere, ſuſpicabuntur Apologiſtæ defectum debitæ ac juſtæ adeſſe materiæ.

Acerbius eſt, ais, *ab iis pati, quos amaveris, quos inter amicos numeraveris, jactura eſt amicum amittere, deterius quid ipſa jactura experiri inimicum.* Conſtitit paulo ſuperius de veris amicitiæ fundamentis inter nos non convenire. Adeoque, Vir Ill. deſine hos, qui veritatem Tibi dicunt inimicis, illos, qui fraudulenter adulantur, amicis annumerare. Crede mihi, ſi turpi hac conditione amicitiam metiris, qui nunc multos, eos-

que veros, amicos habes, brevi ſolus eris.

Ais autem Vir Cl. verum Tibi defendendum fuiſſe, ad eam tutelam Te a conſcientia (in Præfat.) cogi, negas morituro gravius peccatum futurum, niſi omiſſa aliqua erroris Medici refutatio. Nec dixi, nec cogitavi. Lege, quæſo Te, Vir Celeb. quam citas, præfationem meam, & convince Teipſum, quod ibi dico, id totum ſpectare ad ipſarum opellarum mearum, quos forte ſuſpicor, errores; quosque ne alios inficiant, emendandos Eruditis commendo. Quod igitur ne cogitavi quidem cum mihi imputes, cumque ut fidem Tibi imputanti adhiberent Lectores tui, qui forte mea Diſſertatione carent, literis Italicis hæc verba ponas, veluti mea, NISI OMISSA ALIQUA ERRORIS MEDICI REFUTATIO, quorum ne umbram quidem mea habent,

bent, doleo ſane hinc confirmari, quæ HAMBERGERUS, quæ VANDELLIUS, aliique, de Te conqueſti fuerint, nimirum Te, dum cenſuram in Adverſarios edis, verba ipſorum ſolere, ſenſumque mutare. Meminiſti HAMBERGERUM exprobraſſe Tibi, quod ea tua Methodus fuerit, dum cum B. COTSCHWIZIO, Cel. KRAMERO, Ill. HUBERO, diſputares. Tranſiturus hanc ingratam notam fuiſſem, niſi ad mutata mea hæc verba, plura in proxime ſubſequentibus accommodaſſes. Videamus quid huic, quam infers mihi, injuſtitiæ ſuperſtruas.

Patere ſincere, ais, *tecum agam*, id eſt: patere, ut quo te impugnem, verba tua, ſenſusque mutem, *absque amarore*, & *absque fraude*, & *eodem ſtylo, quo mecum velim agi.* Id eſt, ſub verborum blandimentis aculeo pungere.

Credo nos ad vera docenda officio teneri, & omnino grave fore in honeſto viro vitium, ſi aliter ſcriberet, crederet aliter. Intelligo etiam ſæpe, & ab iis imprimis, qui integrum artis ambitum amplectuntur, vitari non poſſe, quin ab aliis etiam bene meritis viris diſſentiant, diſſenſumque ſuum cogantur propalare. Sed in omnes errores ut inſurgas, Te religione tueri, noli Tibi hoc imponere opus.

In tota mea, quam indicas, quam oppugnas, Præfatione nil ſimile unquam dixiſſe me jam oſtendi; ut monere debeam, Te, quod falſe imputaveras mihi, denuo tueri. Siquidem ad errores proprios ſpectat, quidquid ibi dico, de alienis ne verbum quidem. In Dedicatione autem Operis, Artis tutamen, ejusque ab erroribus purificationem, ab Officio dixi inſeparabilia ita meo, ut ſi alterutri deeſſem, quod in-

inde damnum Arti emergeret, imputandum id omne mihi arbitrarer. Id porro ſi aſſumas, videamus quæ inde deducas.

Noli Tibi, inquis, *hoc imponere onus, Haeni Clariſſime, etiam Tuis humeris nimium futurum, ut validi ſint.* Sufficere ſaltem credo, in quantum valeant, me anniſum fuiſſe: ultra poſſe obligatur nemo. *Nimium eſt errorum, quos vel tangere omnes neque ætas feret Tua*; id ſi ſic, ut mox dixi, ſufficiet pro virili egiſſe. Et erunt alii, qui Artis, qui Veri amore, quos ego tangere nequeo, tangant ipſi. *Neque in meliore certe munere utilius collocatum Otium.* Non bene capis, HALLERE Clariſſime, conditionem meam. Archiatri munere occupatiorem me habes, quam ut hiſce invigilem. Potuiſſes tamen melius capere, qui in Dedicatione mei V. Tomi Rat. Med. me

vi-

videris gratias AUGUSTÆ agentem „ quod dum immeritum me ho-
„ norificentiſſimo Archiatri SUI ho-
„ nore bearit, id ita moderarit, ut
„ munus Profeſſorium commodiſſime,
„ curatiſſimeque, ſuſtinere pergam. „

Si igitur id ita ſe habet, vides ilico otium Profeſſorio muneri dicatum fere totum. Muneris autem hujus eſt genuinam Pathologiam ex Cathedra, & ad Lectos ægrorum, docere. Ad hanc rite docendam Phyſiologia inſervit aſſiduo. Hanc tutam, hanc expurgatam, hanc optimam adhibere ad pathologica explicanda, nitor, debeo. Inevitabile proinde vides mihi, dum Tyronibus varia innotuerint Phyſiologiæ ſyſtemata, id, quod probabilius, ſeligere; minus probabilia & fallacia taxare ita, ut capiant hi, cur hoc illis præferam. Sic intelligis facile, Vir Celeb. otium meum ad erro-

errores in quacumque Medicinæ parte tangendos utiliſſime collocari, errorumque refutationem a munere meo fere inſeparabilem eſſe, idque ita a me peragi, ut in quibusdam credam ſufficere, intra Academiæ, atque Noſocomii, id effeciſſe parietes; in aliis vero, qui latius ſerpſerint, etiam edito ſcripto monere. Capis igitur „ neque in meliore certe munere utilius „ collocatum otium, quam in capitalioribus refellendis erroribus. „

Nonne vides, proſequeris, *cum Tibi error videatur, quod mihi verum eſt, ex eo Tuo novo & inaudito officio univerſalem* HOBBESII *ſtatum in republica Literaria naſciturum, ut Tu contra omnes, omnes contra Te exurgant, & literatorum virorum cuilibet cum omnibus ſit depugnandum.*

Comparationem tuam, inter HOBBES, Religionis, Virtutisque hoſtem, om-

omniumque aggreſſorem, & me, ſatis odioſam, meliore jure ad Te deferre poſſem, cum HOBBESII inſtar, omnem Eruditorum Chorum, æque venerandæ Antiquitatis, quam præſentis ſæculi, hoſtis infenſus aggrediare. Hoccine impune facturum Te, arbitrabaris? Erraſti plurimum. Coacti importunitate tua arripuimus, quotquot adverſum Te ſcribimus, calamum. HOBBESII proinde ſtatum, Tu, HALLERE, ipſus es, qui in Remp. literariam invexeris.

Ego vero omnia alia edoctus ſum. Si quid morituro grave incumbet, erit NON AMASSE PROXIMUM, *quæ ipſa Religionis medulla eſt: erit nocuiſſe famæ commodisque virorum bene de re publica meritorum.* Ut video, optime HALLERE, quemadmodum me Latinitatem antea docueris, ita jam Religionem. Vereor ne adhuc infeli-

cius

cius hanc, quam illam. Convenio Tecum in amore proximi ſitam eſſe Religionis medullam; convenio Tecum famæ, commodisque virorum, de Republ. bene meritorum nocuiſſe, grave eſſe peccatum: ſed in utriusque hujus conceſſi definitione multum forte diſcrepamus. Quippe Proximum meum ita amare, ut malim cum ipſum in perpetuo errore verſari, tum ipſius errantis exemplo univerſam Societatem ſeduci, quam quidem corrigendo ipſum impedire ne & ipſe, & mundus univerſus, ultra aberrent; non eſt amare proximum, ſed odiſſe, ſed veras ignorare regulas amandi, ſed omnibus boni tum Civis, tum Chriſtiani, renunciare Caracteribus. Deinde ſi famæ hominis commodisque nocere vocaveris, ipſum monuiſſe erroris, idque, ſi errore ſuo univerſam Societatem involve-

ve-

verit, publice; fateri oportet, quemadmodum præcepti amoris in proximum, ita hujus præcepti moralis, ejusmodi definitionem Te dare, ut nulla Chriſtianorum Religio ſit, quæ admittat eandem. Decuiſſet tamen Religionis, quam Latinitatis præcepta, rectius caluiſſe.

Cum errorum alterum alter generet, miror minus ſequentia tua. *Laborum noſtrorum literariorum fere juſta civium & ſæculi æſtimatio eſt pro ſalario. Id eripere homini innocenter laborioſo, quod nonnihil erroris cum vero miſcuerit, id quidem cum præceptis* DIVINI LEGISLATORIS *ita pugnare videtur, ut non aliam culpam majori cura evitandam putem.* Hisce partim reſpondi, partim nunc reſpondebo.

Si juſtam civium & ſæculi æſtimationem pro laborum tuorum ſalario paciſcere, utique Tecum, Perilluſtris

HAL-

Hallere, nequaquam partior. Quod omnium ſæculorum Hiſtoria, quod Patrum noſtrorum memoria, quod nobis quotidiana experientia demonſtrat, omnium inconſtantiſſimum viliſſimumque eſſe; quo hodie cumularis, cras deſtitueris; quod ne perdas, ingrata nunquam proferre, & conſcientiæ dictamina ſæpe ſuffocare debeas; id mercedem, Hallere, tuam, id tuum reputas exoptasque ſalarium! Meliora edoctus, ſalarium tuum non ambio, ſed floccifacio. Laboro, ſcriboque, quæ vera eſſe credo, ſæculo, civibusque, placeantne an diſpliceant; conſcientiæ dictamini poſtponendam ratus amicitiam, famam, fortunam, emolumenta, honores.

Si tamen pertinaciter hoc vile ſalarium tuearis, rogatum Te velim, ſitne inter viros de Rep. bene meri-

tos BOERHAAVE annumerandus? Certe annuis. Licuitne igitur Tibi juſtam Civium ac Sæculi exiſtimationem, unicam mercedem laboris, turpiter ipſi auferre? Nec abſtuliſſe negaveris. Clamant id omnia tua, & in ipſa hac Apologia tua fateris, ut brevi patebit. Cur præterea omnibus qui a Te diſſentiunt, hoc detrahis ſalarium? Igiturne amoris erga proximum præceptum non tenebat Te ſolum, tenebat autem cæteros omnes? Videris ſane hoc præceptum ſic intelligere, ut unico Tibi liceat exiſtimationem ſæculi omnibus, etiam quibus omnia debes, impune detrahere, nemini vero idem erga Te liceat.

Erroris minus grave onus eſt, nam in errorem præter voluntatem incidimus. Haud perpetuo. Sunt, qui errent humana fragilitate: ſunt, qui præ per-

pertinacia in tuenda opinione propria, arrogantique ſapientiorum deſpectu, errent: hi præter voluntatem errare non dicendi. Dantur tandem qui ſcientes volentes errent, quo famam Principis in ſecta adipiſcantur. Igitur num, qui errat, præter voluntatem, an volens erret, ſub judice lis eſt. *Si tamen morienti gravis aliquis incumbit error, non credo alienum fore errorem, qui ultimas horas amaras reddat, meum credo.* Iterum alludis ad ea quæ ex mea præfatione Te falſo attuliſſe ſupra demonſtravi. Diſerte de propriis erroribus ibi loquor, non de alienis; & iterum inducis me veluti de alienis, non de propriis loquentem. Sed monente ſuis in ſcriptis Hambergero, mentem jam capio tuam. Geſtiebas aliquid in me proferre, vehementer tibi placens, quod commode non poſſes, ſi verum

meorum ſenſum ſequereris. Proferre tamen ardebas. Ergo contorquebas, & invertebas ita mea verba, ut id dicerent, quod non ego, ſed Tu, volebas. His ita viſis, audiamus quæ contra me inde deducis.

Tu vero videris, inquis, *an non variolarum naturalium minuendo pericula, augendo in variolis inſitis; miliarem morbum tribuendo calido regimini, quod in noſtris regionibus ruſticis familiare, nunquam miliares gignit puſtulas: cum iisdem miliaribus confundendo diverſiſſimum carcerum morbum, aliis etiam modis, & cum periculo ægrotantium ſummo, erraveris. Confer* JOH. PRINGLE *Cl. Viri poſtſcrip. ad ultimam editionem egregii libri de morbis militaribus. Eos errores omnes ne Tibi quidem mortem amaram reddituros fore confido, mihi certe ne in mentem quidem recurrent, etiamſi pervicaciter ſtatutum eſt mihi, nunquam*

eos

eos refutare, eique, quod vocas officio, renunciem obſtinatus.

Primo accuſas me, Vir Celeber. quod variolarum naturalium pericula minuerim, inſitarum auxerim. Patere me defendam ab hac iniqua cenſura. Edidi anno 1757. meas ſuper INOCULATIONE DIFFICULTATES, quibus, allato quovis hiſtoriarum, obſervationumque genere, oſtendi, & demonſtravi, ab inſitionis Patronis pericula variolarum naturalium plus juſto augeri, illa inſitivarum plus æquo minui. Egregius Tyſſot anno 1759. ad meas Difficultates reſpondit, putavitque & autoritate, & ratiocinio, & experientia, ſe deleviſſe easdem. Reſpondi eodem anno 22. Julii titulo, REFUTATION DE L'INOCULATION; qua puto me contra Tyſſoti reſponſiones ſufficienter priora vindicaſſe. Confirmavi, anno ſequenti TRACT. DE

FEBR. DEFIN., necrologiis variis, quam rara ex variolis mors, ſi bene tractentur. Ex illo tempore non novi quemquam contra me ex profeſſo ſcripſiſſe. Tu ergo accuſaturus me, primo tenebaris oſtendere inanem quam in REFUTATIONE dederim, Apologiam meam eſſe. Sed cum facta omni probationis genere munita, negare; adeoque nec TU, nec Tyſſotus, nec quisquam, meam REFUTATIONEM refellere, potueritis; iniquiſſima ſane eſt accuſatio tua. Tene igitur ſolum in mundo credideris, qui contra luculentiſſimam defenſionem accuſationes formare, citra ullum argumentum probationemve, poſſis, debeasque? Tantæque Te credas eſſe autoritatis, ut accuſantem juſte cuncti credant, licet nullas dederis accuſandi cauſas? Nimiam arrogantiam, nimiosque ſpiritus, Tibi

ſum-

ſumpſiſti. Injuſtum accuſatorem te omnes habebimus, donec probaveris.

Secunda accuſatio eſt de morbo Miliari, quem calido regimini tribuiſſe dicor; quod tamen regimen calidum Helvetis ruſticis familiare, nunquam ipſis miliares puſtulas gignit.

Reſp. 1. Calido regimine miliaria gigni, teſtari potui, ac debui, tum quod plurimi Autores, iique potiſſimum Germani, ubi hic morbus frequentiſſimus, id evicerint; tum quod idem in hac civitate ſæpius viderim. Omnino vero hæc obſervata confirmabat ſumma morbi raritas, ac fere abſoluta abſentia, in regimine temperato. Unde in variis Opuſculis meis, præſertim in eo de FEBRIUM DIVISIONIBUS, Aeris temperati neceſſitatem ſtatuminavi, & ſane multorum Medicorum ore, ſcriptisque, inde laudatus fui. Hucuſque proinde non-

dum video, quo meus, quem inſimulas, error lateat.

Hinc rogo 2. an quodvis calidum regimen Miliaria gignere docuiſſe me putas? Velle ſaltem videris, Vir Ill., me ita docentem Tui credant Lectores. Quid enim concluſio tua inſinuat aliud? „ Quod (regimen calidum) in NOSTRIS REGIONIBUS ruſticis familiare, nunquam miliares gignit puſtulas: „ & hinc quia calido Helvetorum ruſticorum regimine Miliaria non prodeunt, in errore verſari me ſtatuis, miliarem morbum calido regimini tribuendo. Qui hanc tuam accuſationem tua fide admittunt, errantem me dubio procul arbitrabuntur, cum contrarium Ruſtici doceant tui. Qui vero, ut multi ſunt, fidem tuam ſuſpectam habentes, in Opuſculis meis, quid ſcripſerim, examinent, quantopere deſidera-

rabunt, quem ubique jactas, quem nemo Te frequentius, magnificentiusque laudat, tuum inquam, HALLERE, candorem! Videbunt hi ubique me ſcribentem calido regimine oriri tum Petechias, tum Miliares puſtulas; Variolas vero, Morbillos, atque Scarlatinas, in pejus verti; deinde in Inflammatoriis morbis ſanguinem reddi ſpiſſiorem, naſci demum ſic in Acutis decantatam malignitatem. Nonne famam tuam ſic perditum is? Nonne cogis Adverſarios tuos vera ut credant, quæ HAMBERGERUS, quæ VANDELLIUS, de impermiſſis tuis in disputando technis, amare conqueſti ſint?

Sed nondum hic mitto Te. Si Ruſtici in veſtris Regionibus miliarem a calido regimine morbum non habent, habentne alium nullum? Etenim ex hac Tua Apologia debent concludere

Lectores tui Ruſticos Helvetos calido regimine impune uti. Interim aliquanto antequam hanc Apologiam adornares, edidit egregius tuus, meusque amicus, TYSSOT ſuum laudabile opus, AVIS AU PEUPLE SUR LA SANTÉ, meque longe acrius in calidum hoc regimen invectus, quæcumque de eodem ego dixeram, confirmavit, & poſtquam inter cætera pag. 266. aëra calidiorem humidioremque tanquam malignorum morborum cauſam taxaſſet, demum pag. 269. hæc addidit: „ La peau ſe couvre SOUVENT „ de taches Petechiales, ce ſont de „ petits taches d'un rouge livide, „ ſur tout au col, aux epaules, au „ dos. D'autres fois ce ſont de plus „ grandes taches brunes, (vibices „ ſignificat) comme apres des coups „ de baton.

Quan-

Quando igitur in vestris Regionibus, a calido regimine, teſte Tyssot, (qui plus ægrorum in menſe, quam Tu per annos, videt, cujusque librum legere potuiſti,) omnes Acuti morbi pejorantur, & ſæpe „ Souvent „ varia petechiarum genera naſcuntur, nonne luce clarius patet a calido Regimine idem in Helvetia, quam in Germania, progigni? Et ſi idem, cur litem inde moves mihi, atque ruſticos veſtros calido regimine impune uti ſignificas?

Tertio errorem meum taxas, quo cum Miliaribus inepte confudiſſem diverſiſſimum ab eo Carceris morbum. Utinam intactam hanc accuſationem relinquere poſſem! ſed me adigis, me urges. Nunquam, Hallere, nunquam hæc docui, dixi, ſcripſive. Similitudinem habere Carceris morbum cum Petechiis, cum Miliaribus, me-

mecum, credo, opinaris; attamen illum diverſiſſimum ab iſtis me credentem & ſtatuentem clare videre debuiſti, quando LIBR. DE FEBR. DIVIS. PAG. 52. FAMOSUM illum Carceris morbum, de quo ex veteribus Angliæ monumentis PRINGLE, pro Miliari haberi noluerim, aſſerendo morbum miliarem Anglis, non niſi ſub finem XVII. ſæculi, innotuiſſe. Igiturne oportuit verba mea hic invertere, illic ſenſum mutare, nunc iterum fingere, quæ dicta a me nunquam, quo tueare cauſam adverſum me tuam! Erubeſco cauſa tui; & ne in Te, ut mereris, declamando, alios quoque abs Te alienem, en manum de tabula.

Sed ubique tui ſimilis, injuſtitias cumulas: aliis etiam modis, & cum periculo ægrotantium ſummo, ais, erraveris. Potuiſſe errare, fateor;

er-

erraſſe demonſtranti gratus ero : ſed erraſſe me, idque cum periculo ægrotantium ſummo, accuſantem, ſine ullo erroris allato teſtimonio, Calumniatorem habeo. Sed heus Tu! Hoccine nomine intelligeres, quod caſus meos infortunatos, omnes meos eludentes conatus, cum publico communicare ſoleam? Rodere ergo me ob talia ſi lubeat, habebis quo rodendi animum expleas, dum Tom. VI. Rat. Med. evolves. Sed in toto orbe terrarum qui ob id me rodas, ſolus eris.

Ad rem ipſam perventurus, ſic infis: *Nunc quidem accedit, quod certe ſedere velis judex, non lectis titulis cauſæ & argumentis. Legiſti primum meum & alterum ſermonem de irritabilibus partibus & de ſentientibus. Verum multa erant, quæ omnino Te oportuerat præterea legiſſe, tum quæ in* FABBRI RACCOLTA

an-

annis jam 1757. & 1759. prodierunt, tum quæ in tribus tomis DES MEMOIRES SUR LES PARTIES SENSIBLES ET IRRITABLES, *Lauſannæ ineunte anno 1760. excuſa ſunt. Multas, pene omnes, objectiones Tuas jam ab aliis propoſitas fuiſſe cognoviſſes, & ſolutas aut ab amicis, aut a me ipſo.*

Primo igitur conquereris, quod haud lectis omnibus Tuis, animum ad ſcribendum appulerim. Lubens fateor librariorum noſtrorum ſocordia me plura tuorum ignoraſſe; ſed ſimul addo me pluribus tuis circa præſentem quæſtionem lectis, Diſſertationem contra te ponderoſiorem editurum fuiſſe. Vidiſſem quippe poſteriora legendo, nunc negantem præfracte Te, quod diſertis verbis docuiſſes; nunc quæ negaſſes, docentem: vidiſſem Te in Adverſariorum ſententiis, verbis, ſenſu, immutandis ar-

gu-

gutum; egregiorum Anatomicorum diſſectiones ſpernentem, ſi tibi contraria loquerentur; diſſectiones vero Eccleſiaſticorum, Barbitonſorumque, in cœlos efferrentem, modo Tibi faverent: longo etiam ſermone interſerentem multa ad quæſtionem nihil facientia, modo Adverſariorum famam inde obfuſcari intelligeres. Vidiſſem Te, dum decem contra Te argumenta ponuntur, interque illa unicum reperitur, quod parum probet, niſi cum ceteris junctum, aſtute illud ſejungere, & omnem ingenii vim, qua ſubvertas id, intendere; ſicque incautos Lectores faſcinare, ut unico illo occupati, non advertant hoc artificio te feliciter palmaria argumenta præteriiſſe. Vides igitur ſi omnia hæc antea legiſſem, non modo contra Te, ſed etiam longe animoſius me ſcripturum fuiſſe. Candide Tibi faſſus ſum,

qui

qui multa alia tua legeram, ea, quæ circa irritabilitatem & ſenſibilitatem legiſſem; PRIMAM ET ALTERAM DISSERTATIONEM, CUM PRÆF. TYSSOTI, ET ADJUNCTIS 567. EXPERIMENTIS, tum & ELEM. PHYS. TOM. I. Cum igitur ſexcentis fere experimentis doctrina tua hic ſuffulta daretur, cumque doctrinam tuam adeo certam atque confirmatam, inexpugnabilemque crederes, ut in PRÆF. EXP. in hæc verba ſis auſus erumpere: „ Ce n'eſt pas la reflection, ni „ la lecture, qui m'a oté ces prejugés, c'eſt le temoignage reiteré de „ mes ſens. ET J'AVOUERAI QU'IL „ ME PAROIT BIEN CRUEL de me refuſer creance dans les faits, a moi, „ qui en ai tant vu. „ Syſtemate igitur tuo ita ſtabilito, ut ultra dubitantibus in anteceſſum iraſcereris, jure, puto, credidi id ita explicitum ha-

haberi, ut intelligere idem, meaſque opponere difficultates, poſſem. Porro fruſtra me accuſari abs Te, quod poſteriora tunc nondum legiſſem, quemadmodum jam probavi, ita id ſequentia clarius docebunt. Simulque vanitas apparebit ejus, quod pag. hac 8. aſſeris. „ Multas, pene omnes, objectiones tuas jam ab aliis „ propoſitas fuiſſe, cognoviſſes, & ſo„ lutas aut ab amicis aut a me ipſo. „ Id ſane ſi ita ſe haberet, pro omni hac Apologia tua, cur me ad has ſolutiones non remiſeris? Et ſi tam pulcre, ut jactas, ibidem refutatæ ſunt, cur ſaltem hic non refutas easdem? Refutaſſe, fateor, videris; ſed conſueto tuo, cujus mox memini, artificio; ut evidenter patebit.

Vidiſſes imprimis dudum me conqueri de vagis experimentis, in quibus a dolore partis corporis non definitæ contra ex-

perimenta in nuda & deteƈta parte faƈta arguitur. Et tamen tu ipſe, & ſæpiſſime, ejusmodi vaga experimenta proponis. Jure, Vir Ill., conquerere, ſi, ut dicis, res ſe habet; injuria, ſi contra. Re autem probe penſitata, evincam & experimenta tua omnia vaga & non definita eſſe, & Adverſariorum hucuſque tuorum experimenta plurima, non vaga, ſed determinata, & in nuda ac deteƈta parte, faƈta eſſe.

1. Igitur recordaris me monuiſſe, quod aliorum determinata experimenta ad ſingulam quæſtionem adplicata ſubintelligerem, etſi brevitatis ſtudio non enarrarem. Hæc nunc ad ſingula repetam, eaque addam, quæ & ante, & poſtea, nunc ab Adverſariis tuis faƈta intellexi. Sic ſe habent experimenta 26., quorum in vivo homine 9., quæ in nuda & deteƈta parte ab egregio Medico & Anatomico RAD-

NIC-

niczky Pragæ publice facta ſunt, & edita anno 1756. Demonſtrarunt hæc ſentire Tendines, Perioſtea, Duram Matrem, Peritonæum, Pleuram.

2. A. Caaw Boerhaave in ſuo Impetum faciente, an. 1745. edito, non vago experimento, ſed dedita opera nudatas partes tangendo, ſcribit Duram Matrem integram oleo vitrioli, acu, cultelli cuſpide, pungendo, diſſecandoque, dolentem ſe reperiiſſe, minus dolentem cerebri corticem, minime cerebrum.

3. Doctiſſimus Philoſophus & Medicus Patavinus Vandelli in Epiſt. 1. habet experimentum publice, deditaque opera factum, a ſolertiſſimo Profectore Mezzavia, canis ſcilicet robuſti, qui a cute in crure anteriore, & in abdomine juxta longitudinem ejus perſciſſa, nihil doluerit. Alterum experimentum Vandelli

in Noſocomio fecit parvi canis, cui cutem ſupra bicipitis muſculum cruris anterioris dextri, & ſupra Abdomen, tum etiam Achillis tendinem, incidit citra vel minimum doloris ſignum. Similiaque quinque experimenta ſequuntur, in quinque diverſis canibus, citra doloris ſenſum, inſtituta. Octavo refert ſimile experimentum a BIANCHO inſtitutum. Nono vidit, ut Tu, canem ambulantem Achillis tendine in crure ſiniſtro vulnerato; verum vidit, quod Tu vidiſſe nondum faſſus es, lapide infernali tangens nudum Nervum cruralem, Vaginam tendinis, ipſumque tendinem, demum vero cutim vulneratam comburens, nihil animal ſentiiſſe. Decimo, idem fere experimentum in robuſto cane vidit.

Pergens VANDELLI ad Pericranium, laudat primum Autores ſeptem, HEL-

LIO-

liodorum apud Oribasium, Celsum, Joannem a Cruce, A. Paræum, Joan. Dolæum, Sim. Rohaulsium, Eliam Colium de Villarsis, qui omnes ob ſymptomata, a læſo Pericranio orta, ejusdem agnoverint ſenſibilitatem. Enarrat deinde Viri Clariſſimi, diſcipuli, cognati, atque amici tui, Zimmermanni, experimenta idem docentia: tum experimenta quinque in hominibus habita Clariſs. Lamberti, quæ idem arguant; tandem quinque propria ſua, duo quidem in hominibus, tria autem in animalibus, quæ priora confirment.

Perioſteum deinde examinat. Paræum, Bellinum, qui illud ſumme dolens propria in Tibia expertus eſſet, Cloptonem Havers, Fayæum, Winslowum, quinque ſcilicet autores, quibuscum omnes fere Chirurgos conſentire ait, recenſet, ut perio-

ſtei ſenſibilis teſtes. Poſthac enarrat duo ſua in brutis facta experimenta, quæ idem evidenter demonſtrent. Demum notabilis caſus Comitis PLOVENII ſequitur, cum Epiſtola Italica præclari Chirurgi FR. STELLA, digna ſane, quam hic totam inſererem, niſi veritus prolixitatem: Tres hiſtorias continet diverſorum hominum, quæ & Perioſtei, & Pericranii ſenſibilitatem, ab ipſo manifeſto deprehenſam, evincant. Addit deinde nonnulla, quæ jubent ut credamus Cl. CASTELLI feminam, plus doloris a cæteris perſciſſis partibus habentem, quam a perioſteo, ideo minus, aut nihil, eſſe de perioſteo conqueſtam, quod major dolor alterum obſcuraret. Id quidem probabile, ſed ita non ſemper obtinet. Inter laudata antea Clariſs. RADNICZKY experimenta femina eſt, quæ plus de perioſtei, quam de car-

nium,

nium, nervorumque perſciſſione, conqueſta eſt.

Medullæ oſſium ſenſibilitatem tractat, & experimentis DUVERNAYI indubitatis confirmat.

Duræ Matris ſenſibilitatem primo experimento in homine capto, binisque brutorum, probat. Septemdecim quoque, qui idem ſic deprehenderint, laudat autores. Exponit deinde ANTONII DE HEYDE experimentum in cane factum, quando terebrato cranio ſinus falciformis ſine indicio doloris aperiebatur, non abſolute docere Duræ Matris inſenſibilitatem, ſed tantum, vulnus dexterrima manu de induſtria inflictum, non producere ſymptomata illa, quæ alias a tali vulnere obſerventur; perinde ac de pericranio CELSUS notarat. Cæterum aperturam D. Matris in neceſſitate præſcriptam, non magis ejus

arguere inſenſibilitatem, quam quod abſceſſuum neceſſaria judicata apertura cutis inſenſibilitatem doceat. Eaque occaſione FALLOPII meminit, teſtantis in aperiundis abſceſſibus SÆPE indolentem veluti cutem ſe deprehendiſſe, die vero ſequenti dolentiſſimum.

Quatuor deinde experimentis in homine, & quinque in brutis, probat pellucidæ Corneæ ſenſibilitatem.

Tandem Tendines aggreditur. Docet SEBEZII & GOELIKII experimentis nervos in tendines ingredi, deque eo Achillis ex WINSLOWO probat. Vaginæ tendinis, tendinisque ipſius, ſenſibilitatem duplici experimento a ſe in muribus capto evincit. Idem tunc publice in Noſocomio, in homine, quatuor indubitatis probat experimentis. Ut etiam & teſtimonio, & experientia, expertiſſimi Chirurgi ZARINI, qui ante elapſos 42. annos de

eo

eo ſcripſerat. Poſtea novemdecim Autoribus, ducto initio ab HIPPOCRATE, idem confirmat, ſimul oſtendens horum plurimos male a Te accuſari, ac ſi Nervos inter Tendinesque haud ſufficienter diſtinxiſſent. Tandem incomparabilis MORGAGNI experimento, ADV. ANAT. n° 8. c. 19. refellit experimentum tuum de Rana, ſe movente poſt cor abſciſſum; unde Tu concludis, Vir Celeb. citra Arteriarum concurſum, ſanguinisque auxilium, muſculos nervis moveri ſolis. Certe VANDELLI docet ibi 1. Ranam, fatentibus STENONE, BARTHOLINO, MORGAGNI, nimium ab homine differre, quam ut Concluſio inde ad hominem ducatur: 2. experimentum Ranæ Tuæ in Cane minime verum MORGAGNIO viſum.

Idem VANDELLI in Epiſt. ad LAMBERTI plurima exempla habet primo

ſenſibilitatis pellucidæ in homine Corneæ, ſecundo ſenſibilitatis in D. Matre. Experimentum repetitum ibi cernis in binis Mulieribus, ubi a leviſſimo attactu nullam incuſare compreſſionem potes.

En nunc Tibi, Vir Perill. experimenta bene multa, quæ clari Viri, ad ea edenda aptiſſimi, fecerint, non vago modo, ut injuſte objicis, ſed dedita opera, ſed de induſtria, ſed in nudatis partibus; quæ experimenta ſola admittis. Si obtinere abs Te poſſis, ut moderato animo ea examines, deprehendes, habita experimenti utrinque facti proportione, longe numeroſiora in hominibus, quam a Te, Tuisque, capta fuiſſe; adeoque dum potiſſimum de homine quæſtio eſt, ea longe præſtantiora, valentioraque tuis omnibus eſſe.

Re-

Reſpondiſti ad hæc, Vir Cl., ſeu potius reſcripſiſti; eaque ſcripta, contra hæc edita, legiſſe me debuiſſe, antequam me Tibi opponerem, nunc mones. An ſerio? Vix crediderim. Nullum enim argumentum ſolviſti, & ſi ovantem alicubi te video, eſt modo, dum conſueto artificio uſus, hinc inde aliquid refellis, quod non ſatis caute enunciatum, quodque ad rem non facit. Cur tamen mones id? Ut hominem negotiis ſubmerſum ab ulteriore examine deterreres, dum antequam quis aggrediatur Te, mare librorum plenum exhauriendum ſit; utque ita Apologeticus ſermo tuus certam decreviſſe Tibi victoriam videretur. Permiſere tamen occupationes Tua reſponſa ut legerem, quæ in ſummam collecta ſic ſe habent.

Primo, video Te numerum ingentem obſervationum experimento-

rum.

rumque Tuis opponere Adverſariis. Id jam feceras antea: crevit interea tuorum Adverſariorum numerus, numerusque experimentorum: videre mihi inde obrui, & ad pleraque, ut mox monui, utque ultra patebit, nihil ſolidi regeris.

Secundo, diſputatur, utrum Nervi V. paris ad D. Matrem accedant, nec ne? Negas Tu, idque quia nec Tu, nec MECKEL, nec TOSSETTI, nec Clericus quidam, nec Bononienſes, eosdem invenire potueritis. Sed tres poſtremi non ſunt Anatomici: atqui alibi audire teſtes recuſaſti, qui boni Anatomici non eſſent. Ergo ſtas hic a Tua parte cum optimo MECKELIO ſolus. Cum igitur veſtra amborum autoritate ea WINSLOWI & HEYSTERI longe major ſit, qui ambo viri id, quod vos nondum invenire potueritis, dudum invenerint, atque demon-

monſtrarint, video vos nihil ad tantorum virorum demonſtrationem regerere poſſe.

Tertio, video Te numerum Aſſeclarum vehementer jactantem. Sed 1. id ad convincendum nihil facit. Quotiesne a majore parte non error defenſus? 2. VANDELLI, licet Adverſarios omnes tuos nondum norit, oppoſuit Tibi horum æque magnum fere numerum.

Quarto, invenio Te artificioſe aſſerentem, quod Cl. MOLINELLI D. Matrem inſenſibilem deprehendiſſet. Sed dum hunc Virum (Tom. 1. Exp. Anat. Comm. de Bonon. Scient. Inſt. & Acad.) conſulo, intelligo contrarium; dumque Vandelliana examino, video ipſum MOLINELLI ſenſibilitatem D. Matris VANDELLIO inſinuaſſe.

Quin-

Quinto, deprehendo peregregium ZIMMERMANNUM in cerebri ſenſibilitate, R. Patrem POZZI, & Cl. MOLINELLI, in inſenſibilitate tua D, Matris, alia a Te ſentire: & cum animi mœrore dum Cl. LORRY, & G. DE VILLARS, minorem D. Matris ſenſibilitatem eſſe declarent, Te præfracte ſcribentem lego ambos hos Viros D. Matris ſenſibilitatem negare.

Sexto, deprehendo Te magna R. Patris TOSSETTI autoritate aſſerere auſum eſſe, quod in Italicis experimentis circa Tendinem factis, ille Vagina, aut tela celluloſa, adhuc tectus fuiſſet. Attamen ex Vandellianis, contra quæ ſcribebas, tam bene noras hæc falſa eſſe, quam exiſtere Te noras.

Septimo invenio Te ſtatuentem, quod VANDELLI nonnullorum ſymptomata, interitumque, D. Matri læ-

ſæ

ſæ tribueret, interea dum ulcera Cerebri agnoſceret. Rem examinavi. In Epiſt. 2. §. 30. 32. 34. ubi hac de re agit, video ipſum ex Cerebri ulceribus, Cerebri quidem inſenſibilitatem concludere, verum nullam facere eo tempore de D. Matre mentionem: video eundem, dum de ſenſibilitate D. Matris ſermonem habet, de caſibus ulcerati cerebri ne cogitare quidem. Potueras idem jam intellexiſſe ex ejusdem ad Cl. Lamberti epiſtola.

Octavo, percipio Te accuſantem Clariſſimum Lachi, quod ambiguitate circa telam celluloſam aut ſenſibilem, aut inſenſibilem, abuteretur, quandoquidem illam ambiguitatem correxiſſes in Erratis. Inhumaniter quidem! Optimus ille vir primam duntaxat editionem Diss. 1. et 2. de Sens. et Irr. viderat, ad quam editionem nulla Errata ſubjunxeras, adeoque ille bene

fe-

fecerat ſic ſcribendo, Tu malitioſe eum accuſando.

Nono, deprehendo diſertis verbis aſſerentem Te, quod Pericranii ſenſibilitatem negaveris unquam. „ On a „ accumulé des experiences contre „ moi, que le Pericrane eſt ſenſible, „ & je n'avois jamais dit le contraire.„ Tamen in utraque Editione tractatus DE SENS. ET IRR. ſic ſcribis: „ Je „ n'ai point eté ſurpris de trouver le „ perioſte inſenſible dans les nombreuſes experiences, que j'ai faites „ ſur le tibia, le femur, le metatarſe, „ & le pericrane, qui eſt de la même nature, que le perioſte. „ Hic igitur video ex experimentis numeroſis ſuper pericranium factis te ejusdem ſenſibilitatem negare. Attamen fatendum eſt, non ubique negas, non ubique affirmas: poſt experimentum 57. anno 1752. factum, ais experimen-

menta circa Pericranium dubiam ejusdem relinquere ſenſilitatem, adeoque prudentiæ eſſe in hac incertitudine nihil adhuc determinare.

Igitur anno 1752. experimenta dubioſa erant. Anno 1755. & 1756. numeroſa experimenta inſenſilitatem Pericranii docebant. Anno 1759. ajebas te nunquam ejusdem ſenſibilitatem negaſſe. Quam egregiam facis, Vir Celeb. Apologiam meam! Dixeram experimenta tua veritatem non enuntiare, ſed modo id, quod velles, ut enuntiarent; ita ut per eadem experimenta rem nunc negares, nunc affirmares, prout erga Adverſarios, aut affirmantes, aut negantes, reſponſione indigeres. Qui declamatione in Apologia tua contra me facta in me invecti ſunt, videbunt hic novo argumento priora confirmata. Quæ fides ultra experimentis tuis?

Lubens adderem egregium TYSSOTUM, dum eleganti præfatione diſſertationes tuas de Senſ. & Irrit. honoraret, ex iis quoque Pericranii inſenſibilitatem concluſiſſe, & concludere debuiſſe; volo tamen potius de TYSSOTO tacere, ne dum mihi reſpondes, hunc tuum amicum relinquas, & nimia dixiſſe accuſes, eoque Lectores ita occupes, ut non advertant incauti ea ſola de cauſa TYSSOTUM Te accuſare, ut ad oppoſita Tibi palmaria argumenta, quæ nihil ad TYSSOTUM ſpectent, reſpondiſſe videaris. Lectores mei evidens hujus exemplum brevi videbunt.

Decimo, accuſas Cl. VANDELLI quod tendinibus tribuat cutis nervos. Inquirens per omnia ejusdem opera, nihil inveni ſimile. Quare & ille jure videtur id negaſſe in ſua contra Te Apologia.

Un-

Undecimo, quo Adverſariorum tuorum experimenta contra tuam partium inſenſibilitatem elidas, accuſas eosdem quod vicinos nervos ad Achillis tendinem, ad Flexores cruris, ad Capſulas in genere, ad Pleuram, ad Pericranium, ad Parotidem, non ſeparaverint, dum hasce partes ſenſibiles eſſe demonſtrarent. Noveras tamen inter illos & aptiſſimos viros eſſe, & æque, quam Te, candidos; quos non licebat loco tam turpi habere. Et ſi adhuc dubitas, lege attente quæſo §. 30. Apologiæ VANDELLIANÆ.

Interim deſperatam cauſam tuam magis oſtendis, magisque. Vaga Tibi opponi experimenta conquerebaris; oppoſita tunc fuere innumera, quæ de induſtria, in deteƈta viva parte animalis, imo hominis, capta fuere. Nondum bene: quippe adeo in-

eptos fuiſſe ais, ut vicinos a tendine, reliquisque partibus nervos, non ſeparارint. Sed ſepararunt, ſaltem in brutis; quid nunc reſpondebis? Interim hac occaſione intelligo, ut de partium quas Tu inſenſibiles ſtatuis, inſenſibilitate certum judicium feratur, vicinos oportet nervos ſeparare. Cum id in vivo homine fieri nequeat, alterutrum probas; vel experimenta in hominibus capta, quæ ſenſibilitatem Tendinis, Capſulæ, &c. demonſtrarunt, male a te negata, male ſuſpecta fraudis, errorisve, habita eſſe, & ſaltem ob nervorum vicinitatem honeſte admitti a Te debuiſſe; vel nervos ipſos, quod tamen ubique negas, eſſe inſenſibiles. Videas, HALLERE, & perpendas, ad quasnam rerum anguſtias redigaris! Quo Te vertas tandem!

Omit-

Omitto de induſtria, ne longus ſim, quæ in Raccolta Aſſeclæ tui, ad rem paſſim minus apti, afferant; cum nihil veri, nihil in illis ſolidi habeatur.

Qua igitur mente potuiſti me, Vir Celeb. ad ejusmodi ſcripta remittere, ut objectiones meas dudum „ pene „ omnes „ & propoſitas ab aliis, & a Te, amicisve tuis, dudum detritas eſſe intelligerem? Ad ſcripta, inquam, talia, quibus ſyſtematis tui incertitudo & fallacia evidenter pateſcunt? Veram rationem forte ſupra dedi.

Præmiſſis, quæ de vagis experimentis inaniter conqueſtus fueras, ſic ad particularia capita deſcendis: *Ajo*, inquis, *peritonæum, dum ob herniam ſecatur, inſenſibile eſſe. Tu repertum eſſe hominem, in quo non alia cauſa reperta ſit colici doloris, præter gangrænam exiguam Peritonæi.*

Duo enarras ex Difficultatum mearum n° quarta, de indolente dicto Peritonæo; alterum quod Tu ponis, alterum quod ego. Mirum iterum artificium adhibes. Tu poſueras tria in Brutis facta experimenta, unumque in homine, cui facta abdominis paracenteſis dolorem non creaverat. Reſpondi primo eodem argumento Te probare cutis inſenſibilitatem, quo eam peritonæi; ſi enim utrumque in punctura non doluerit, utrumque inſenſibile eſſe: ſecundo, ſi dolor in paracenteſi aut perceptus, aut non perceptus, peritonæi ſenſibilitatem vel inſenſibilitatem, te judice, demonſtrat; tunc, me judice, ſenſibile eſſe peritonæum adparere, quum hydropicorum meorum plerique a punctura doluerint.

In Apologia ad hæc reſpondere tenebaris. Sed quid facis? Vidiſti ar-

gu-

gumento meo confoſſum Te, & convictum undecumque. Candor notiſſimus tuus ad Veri confeſſionem Te adigere vi quaſi debuiſſet. Sed nihil horum. Quaſi ratiocinia & argumenta in Diſſertatione mea non extarent, ſubſtituis callide novum experimentum, quaſi illud demum eſſet, quod in mea Diſſertatione contentum, refellendum haberes: tamen ibidem de paracenteſi, & ne verbo quidem de hernia, agebatur.

Dum igitur concluſio mea de paracenteſi, tuo ſilentio confirmatur, reſpondebo ad præſentem de inſenſibilitate peritonæi, in ſecanda Hernia, quæſtionem, te rarius, me frequentius, huic operationi interfuiſſe, meque aliquoties ejusdem deprehendiſſe ſenſibilitatem: adeoque nec præſens aſtute ſubrogatum experimentum quidquam definire.

Alterum quod ponis, eſt exemplum a me allatum hominis, in quo non alia cauſa reperta ſit doloris colici, præter Gangrænam exiguam peritonæi. Iterum mutaſti verba mea: ſcripſi: „ in ipſa vero plaga doloris „ Peritonæum, ſed id unicum, LA-„ TISSIMA EXPANSIONE gangræno-„ ſum. „ Quo, quæſo, conſilio, qua fide, quod ego LATISSIMUM ſcripſi, tu refers EXIGUUM? O candorem!

Videamus quid contra hanc hiſtoriam affers. *Quaſi vero in ejusmodi turbulenta & veloci inciſione, qua cadaver morboſum aperitur, omnium viſcerum abdominis vitia accurate poſſent cognoſci. Sed & doloris ſedes potuit fuiſſe in minimis, Tuis oculis inacceſſis, partibus, & in acrimonia, quæ nervos irritavit, quos Tu ne quæſiviſti quidem, aut in tenſione, quæ per mortem ſubſedit.*

Re-

Reſpondeo 1. hiſtoriam hanc, neſcio quo conſilio, ut a me viſam & examinatam a te poni; ais enim: „ Tuis oculis inacceſſis „ & „ quos „ Tu ne quæſiviſti quidem „ interea dum aperte ſcripſi „ Celeberrimum „ Poliatrum ac Senatorem Haganum „ C. H. VELSE, ſubtiliſſimum æque „ Anatomicum, quam præclarum Me„ dicum, & ægrum tractaſſe, & ejus„ dem denati cadaver examinaſſe. „ Quid lucreris, Vir Celeb. hac mutatione perſonarum? Vix video.

Reſp. igitur 2. Viro huic in Anatomicis expertiſſimo, & frequentiſſimo, tum & candidiſſimo, fidem adhibendam eſſe, aut nec Tibi, nec mortalium cuiquam.

Reſp. 3. dum cauſam manifeſtam, conſpicuam, latiſſime expanſam, in ipſiſſima dolente plaga, a morte deprehendimus, utique non opus eſt ad

cauſas, oculis non patentes, confugere, nec ſolem in meridie quærere. Provoco ad omnes Anatomico-Pathologicos.

Subjungis demum: *Non oportet certis & manifeſtis in viſo tactoque peritonæo experimentis, objicere alia mere negativa.* Utique; atque ideo hoc meum exemplum mere poſitivum, non negativum eſt. Præterea dixeram ſæpius me brevitatis cauſa non enarrare experimenta poſitiva omnia, ſed ut, narrata ſupponere. Non videris amare brevitatem in hiſce. Ergo quædam, quæ olim ſuppoſueram Tibi notiora eſſe, quam ut repeterem, cum me cogis, dabo. Doctiſſ. RADNICZKY Sect. 4. Exp. 4. ad binas uſque vices nudatum magni canis peritonæum olei vitrioli tangens; deinde idem Exp. 5. in alio cane, in Vervece, & in Catto, repetens, ejusdem ſenſibilitatem ma-

magnam publice demonſtravit. En igitur oppoſita Tibi, non mere negativa, ſed certa & manifeſta in viſo, tactoque peritonæo, quinque experimenta, adeoque tuis plura; quæ id affirmant, quod negas. Siccine ſatisfeci?

A peritonæo ad D. Matrem pervenis. *Ita mecum egiſti*, ais, *in dura membrana cerebri. Ego ſenſu carere vidi in brutis animalibus, in homine, viderunt multi & eximii viri, Zinnius, Verna, Fontana, Gesnerus, Archiater Polonicus, alii, & nuper vicinus mihi Chirurgus Ricou in femina, cui duram matrem repetito raſit & incidit. Tetigerunt nudam, viderunt ægrum non ſentire tangentis chirurgi inſtrumentum, & ne radentis quidem aut incidentis ferramenta.*

Quia antiquam cantilenam repetis, cogis me iterum factis facta opponere.

re. Sect. 3. Exp. 1. & 2. Cl. RADNICZKY in tribus canibus D. Matrem aut ſcalpello irritans, aut oleo vitrioli urens, ſenſibilitatem vidit, & demonſtravit; ea differentia animadverſa, quæ licet directe ad rem non faciat, noſſe juvat tamen, quod nempe bini canes ægerrime quidem, unus vero admodum patienter, ſeparationem integumentorum uſque ad pericranium tulerit: argumento quam ſæpe varient inter ſeſe experimenta, & quam cautos oporteat in concludendo eſſe.

Idem Medicus. cum famoſiore Pragenſi Chirurgo in judæa puella, cui cranium fractum, vidit, ablatis demum fragmentis, quadruplici experimento in parte viſa tactaque, D. Matris ſenſibilitatem tantam, ut in miſerandos ejulatus puella, etiam a leviſſimo ſtyli tactu, erumperet. Junge, quæſo, hisce ea, quæ antea ex

CAAW

Caaw B. & Vandelli enarravi, & habebis experimenta certa & manifeſta in viſa tactaque D. Matre, quæ Tuis Tuorumque experimentis æquiparari, ſi non præponderare, poſſint.

Laudatis experimentis tuis, mea deprimere conaris, hoc modo: *Tu contra ais poſt magnos dolores capitis pag.* 40. 41. *nihil Te inveniſſe culpæ, præter aneuryſmata in arteriis duræ membranæ. Credisne ergo poſt hemicraniam mortuum hominem ſi incideres, vitium Te reperturum in cerebro? Manifeſto malum in capitis eſt tegumentis, ſubjectisque nervis. Hinc muſculi oculorum convelluntur, & tacta tempora dolent. Sæpe expertus tutus adfirmo. Non ideo in dura membrana vitium eſt, non in cerebro, cum idem ſæviſſimus dolor ſponte remittat, & absque veſtigio evaneſcat. Invenies Tu ſectione, quæ pauciſſimis horis continetur, nervulum, qui poſt ca-*

ta-

taractæ depoſitionem adeo intolerabiliter dolet?

Nunc demum Vir Ill. altercaris, vitiligitas, cavillas, mirum in modum. Expediam me nihilominus. Ac primo quidem puto inquirendam cauſam eſſe, quæ ad cavillandum adigat Te?

In opuſculo meo oppoſueram Tibi pro D. Matris ſenſibilitate demonſtranda primo Experimenta RADNICZKYANA, 2. Hominum a Brutis differentiam. 3. Incertum etiam ſenſibilitatis in homine experimentum. 4. Hiſtoriam medicam Chronicorum Capitis morborum. 5. Inanitatem argumenti, quod ex D. Matris Chirurgica perſciſſione ſæpius urges.

Ad primum nihil reſpondes, ac ſi experimenta PRAGENSIA non exiſterent. Videntur diſplicere Tibi, ignotaque ut maneant eruditis velle vi-

videris. Hinc cum illa in priore tractatu in genere modo laudavi, ea tanquam non viſa tranſis. Ad Brutorum ab homine differentiam & mancum, quod inde fit, argumentandi genus, quoque ſiles. Ad tertium pariter. Ad quintum nihil: ſolum quartum meum argumentum aggrederis miro ratiocinio, & argutia. Suppono igitur ad quatuor illa capita reſpondere Te non poſſe; & num ad unicum hocce utcumque reſponderis, examinabo.

Scripſeram ego ſic pag. 39. „ In-
„ tueamur modo hiſtoriam medicam
„ chronicorum capitis morborum a-
„ pud Caſuum Collectores; obrui-
„ mur pene crebritate obſervationum,
„ quæ horum cauſas unice detexerint
„ in vitiis Membranarum Cerebri:
„ (1.) exſiccationem earum; (2.)
„ Aneuryſmaticam ac Varicoſam illa-

„ rum

„ rum Vaſorum Diatheſin; (3.) Cal-
„ culoſam in earum ſubſtantia mate-
„ riam; (4.) parvos, utramque Me-
„ ningem inter, Calculos; (5.) oſ-
„ ſis carioſi Cranii ichorem, quæ D.
„ M. roderet.

Ad hæc reſponſurus, ſolam ſecundam capitis doloris cauſam ponis me dediſſe, „ nihil te inveniſſe culpæ,
„ dicis, præter aneuryſmata in Arte-
„ riis Duræ membranæ „. Et vitioſe adhuc refers, cum de D. M. non ſolum, ſed & de Pia dixerim. Reliquæ quatuor cauſæ cur non tanguntur? Quia omnes junctæ hæ cauſæ pondus argumenti augerent, & ex obſervationum frequentia, quæ in Cerebri membranas ſenſiles demonſtrandas omnes coirent, mea theſis firmaretur.

Allatis his quinque cauſis addideram: „ (1.) idque omne ſæpe deter-

„ mi-

„ minato in loco, quem æger in vi-
„ ta præcipue indicaverat. (2.) Cum
„ nunc frequentiſſima ejusmodi ob-
„ ſervata ſint; (3.) cum alia morbi
„ cauſa abſolute deſuerit; nonne ar-
„ gumenta, ex hisce cauſis petita,
„ infinito plus ſtringunt iis, quæ
„ HALLERUS ab homine unico, cæ-
„ terum a ſolis deſumſit Brutis? „
Quid igitur jam hic cum tuis Cavillationibus? Si id evictum, quod quinque variis modis D. Mater in morbis capitis patiatur; ſi ab obſervatoribus id centies & plus ita inventum fuerit; ſi affectus locus a morte ſæpius idem detectus, quem in vita homines indicaſſent; & ſi denique nulla alia in corpore labes reperta ſit; quæro ab omni Medico rationabili, num debeam ad manifeſtiſſima hæc morbi teſtimonia adeo numeroſiſſima, oculos claudere, & in phantaſia mea cauſam

ſtatuere iis in partibus, in quibus nec video quidquam, nec videre unquam poſſim? Claudamus, & comburamus Obſervatorum volumina; renuntiemus ſenſuum noſtrorum dictamini; edocemur a claro viro cauſas fingere morborum in partibus nec conſpicuis, nec examini ſubjectis, quidquid centeni oculi, manusque, e contrario demonſtrent.

Sed ſatis nugarum. Juſto ratiocinio Medico nos ad hæc omnia, ſic in vita ægrorum, ſic a morte inventa, jungentes indubitatiſſima experimenta tum practica tum anatomica, quæ D. M. ſenſibilitatem demonſtrarint, credimus tuto & certo nos dolorum originem a D. M. affecta deducere; quique aliter ſtatuant, eos nec phyſice, nec medice procedere.

Et audes tamen pergere: *Eodem modo ubique mecum egiſti. Non nudas par-*

partes, de quibus negabatur, tetigiſti unquam, ut videres ſentire; ſed aliorum autoritatem produxiſti, & contra experimenta opiniones, & dolores late fuſos, quorum nullo modo ſedes certa ſit. Vidi ego, quæ enarro. Tu legiſti non contraria meis, ſed quæ ingenio tuo conaris contraria reddere. Et tamen abſurditatem ſententiæ meæ increpas, pag. 53.

Credo in prægreſſis me hanc acrem altercationem abunde refutaſſe; ineſt tamen illi aliquid peculiare, quod examinandum. Scilicet jactas, Vir Ill. te omnia per Te vidiſſe, me ab aliis duntaxat habere. 2. Dicis id, quod ab aliis habeo, non eſſe contrarium Tibi, ſed me conari modo, ut ingenio meo id Tibi contrarium reddam. Facile capis hic multa dici poſſe, ac debere; ſed multa transeundo brevis ero.

Supponam pro momento nullum experimentum me per me ipſum tentaſſe unquam, quid inde? Lego experimenta HALLERI, & in Chartam conjicio. Lego experimenta & caſu detecta, & de induſtria capta, multorum clarorum virorum. Noto illa e regione HALLERIANORUM. Suppono utrinque Viros honeſtos, qui id mihi dicant, quod vere obſervaverint. Igitur ego nullo partium ſtudio ductus, & alterutram ſententiam amplecti vi officii coactus, confero hæc oppoſita adnotata, & matura deliberatione adhibita ſic procedo:

1. Sunt ab una parte experimenta capta potiſſimum in Brutis, quæ videntur inſenſibilitatem multarum in corpore partium demonſtrare; ſunt ab altera parte ſimilia experimenta magna parte Brutorum, quæ earundem partium ſenſibilitatem docere viden-

dentur. Ergo res hucusque mihi dubia, cum rationem non habeo, cur fidem hujus partis fidei alterius præferam.

2. Attonitus lego ab utraque parte experimenta proferri, quibus in eodem animali, in eadem corporis plaga, alio tempore ſenſibilitas, alio iterum inſenſibilitas apparet. Dubium mihi augetur, & vix novi ultra, quid de tota credam quæſtione.

3. Video tamen eſſe experimenta multa, quæ ab una parte perpetuo idem affirment; quæ ab adverſa parte idem perpetuo, aut paſſim ſaltem, negent. Hinc dubium meum mutatur ita, ut circa ipſam quæſtionem ultra non hæſitem, ſed modo quamnam partem ampleCter, ambigam.

4. Proportione experimentorum habita, video ab una parte plurima experimenta capta in Brutis imo in

Amphibiis, in Homine rariſſima; ab altera parte inter multa Brutorum, etiam Hominum non pauca reperiri. Statuo mecum experimenta hujus partis momentoſiora Medicis, quam illius, eſſe; adeoque dubius quantumvis fluitans, tantillum incipio ad hanc partem inclinare. De Homine quippe agitur, non de Brutis, aut Amphibiis.

5. Sententia & experientia ſæculorum omnium, a nata Medicina ad ortam quæſtionem præſentem, examinatis, deprehendo illam partem diſputantium, quæ parum in homine, potiſſimum in Animalibus, ab homine diverſiſſimis, experimenta cepit, contradicere obſervatis priorum ſæculorum; quæ vero plura in homine experta pars ſit, eam cum Majoribus noſtris convenire. Cum nunc de ſenſibilitate & inſenſibilitate partium huma-

manarum maxime agatur ; cum ea pars, quæ plura in hominibus experimenta tentavit, conveniat cum Antiquorum omnium in homine captis obſervationibus, ut Medicus ſane accedo ad horum ſententiam.

6. Attentiore ad utriusque partis experimenta animo, demum adverto unius partis experimenta ita variare, ut eadem nunc rem affirment, nunc negent eandem; adeo ut hujus ſententiæ patroni iisdem experimentis ſenſibilitatem, aut inſenſibilitatem, negent, ſtatuantve, prout animus fert; ſed ab altera parte video ſummam & relationis & concluſionis conſtantiam, tum & quorundam notabilium experimentorum varietatem candide relatam, ne quis ex iisdem imprudenter concludat. Dum igitur ab horum parte omnia in Phyſicis requiſita reperiam ad credendum, amplecti eandem

 dem

dem jam tuto videor, licet experimenta ipſe non feciſſem.

At vero jam experimenta feci ipſe. His ego conſultis, quam partem amplexus ſim in hac diſceptatione moderna, videor tuto, prudenterque amplexus; maxime ſi conſideres eadem dedita opera in hominibus capta. Hæc me ſenſibilitatem Oſſis, Perioſtei, Pericranii, Duræ Matris, Telæ celluloſæ, Corneæ pellucidæ, Iridis, docuerunt. Interim quam ſæpe varient experimenta, quamque fallere poſſint, didici quoque. Vidi citra ullum fere doloris teſtimonium Calculum ſecari, adeoque Veſicam, Muſculum transverſalem penis, ſive transverſum perinæi, Nervos, Cutim, ſenſu videri carere; vidi ſæpe cutim, vidi muſculos plane inſenſibiles; quod ipſum quoque Patrum noſtrorum memoria notatum fuerat. Didici quam impru-

prudenter hinc quis quidquam concludat, artis regulas formet, aliisque obtrudere conetur. Igitur ego in experimentis meis vocem audivi Naturæ humanæ, quam Canicidia Tibi tua, Vir Celeb. exhibuere nunquam.

Atque ita reſpondiſſe me arbitror ad primum Tuæ accuſationis caput, quo propriis experimentis Tibi carere videbar: ad alterum vero, quo adſtruere conaris me apud alios contraria Tibi non inveniſſe, verum ingenio meo ita contorſiſſe, ut Tibi contraria viderentur, brevis utique reſponſio erit. Vel enim ſcripſere alii contraria Tibi experimenta, vel non ſcripſere: ſi Tibi contraria non ſcripſere, qua de cauſa tantopere in iisdem refutandis es? Si igitur vel inde patet ea Tibi contraria eſſe, non is ſane ego, qui illa Tibi contraria ingenio fingere potuerim, ſed ſuapte

natura Tibi contraria erant; ut talibus contra Te uſus ſum.

Æque vaga ſunt, proſequeris, *quæ ex carie contra Perioſtei indolem præfers. Nullam nudi, puri certe Perioſtei, læſionem ne nominas quidem; ſed cariem quæ incumbentes Perioſteo nervos* (*pag.* 81.) *utique exedat, aut ad profundos euntes muſculos.*

Jam capis, Cl. HALLERE, etiam te ſic vera non proferre, ob ea quæ mox memini. Suppoſui, toties jam dixi, aliorum experimenta in detecta & viva parte de induſtria facta ſubintelligi, tanquam præmiſſa, in DISS. MEA pag. 37. Sed tanquam nihil ejusmodi præmonuiſſem, negas me poſitiva de perioſtei ſenſibilitate experimenta dediſſe. Cogis me longum eſſe præter voluntatem. Adſcribam namque illa. Egregius RADNICZKY experimentis in tribus Canibus, in Equo, in

in Femina, & in Chirurgo vulnerato, captis, perioſtei & pericranii ſenſibilitatem tam clare demonſtravit, ut ſol in Cœlo lucet. Vide ejus ſectionem alteram, Diſcurſumque ad hanc Sectionem; & eximii viri, ne fraus involuntaria, aut vitium quidquam, experimenti fidem labefactare poſſet, mirare prudentiam. Nonne ipſe optimus & tuus & meus amicus ZIMMERMANNUS, de tua Perioſtei & Pericranii inſenſibilitate dubitare cepit, in ſuo SPEC. INAUG.? Dum igitur jactabundus ſcribis: „ Je n'ai point eté ſurpris „ de trouver le perioſte inſenſible, „ dans les nombreuſes experiences „ que j'ai faites ſur le tibia, le fe- „ mur, le metatarſe, ET LE PERI- „ CRANE, QUI EST DE LA MEME „ NATURE, QUE LE PERIOSTE .... „ Cent fois j'ai laceré, piqué, brulé, „ le perioſte, l'animal n'a jamais

„ don-

„ donné de ſignes de douleur; des „ petits chevreaux alaitoient pendant „ ce tems-là: ſi je touchois la peau, „ ils faiſoient des cris, & tomboient „ dans des convulſions. DISS. SUR LA SENS. 1756. pag. 24. Quando hæc, inquam, ſcribebas, crediderim præoccupatum & proprio ſyſtemate infatuatum animum impediviſſe Te, ne ea videres, obſervaresque, quæ tot alii optimi Viri, deindeque RADNICZKY, obſervarunt. Si hoc non ita ſe haberet, quo pacto potuiſſes in laudata mox tua Diſſertatione perioſteum & pericranium abſolute inſenſibile ex numeroſis experimentis „ dans „ les experiences nombreuſes „ declarare, & iterum poſtea contra VANDELLIUM ſcribere: „ On a accumulé „ des experiences contre moi, que „ le Pericrane eſt ſenſible, & je n'a„ vois jamais dis le contraire. „

Dum

Dum igitur ex propriis iisdemque experimentis tuis & affirmes, & neges, doces ſane nos omnes, ut tua cum prudentia legamus, nec fidem adhibeamus iisdem, ni ea prius cum aliorum experimentis contulerimus.

Junge nunc hæc certiſſima RADNICZKYANA cum obſervatis practicis meis, & vide num medicum ratiocinium exactius poſſit formari?

Addis demum præcedentibus: *Nullum eſt de oſſe ipſo teſtimonium.* Nullumne? Dum, præter multa alia, tibi ſtiti coram immedicabilis capitis doloris cauſam unice reperiri potuiſſe in humore, ambas inter Cranii tabulas collecto; in alio homine in Cranii carie cui D. Mater concreverat; in tertio in carie Oſſis frontis, cum membranarum integritate; in quarto in carie oſſis occipitis, membranis quoque integris: an tunc non dedi Tibi

non

non unum, ut conquereris, ſed quatuor de oſſe ipſo dolente teſtimonia? Tu dicis oſſa non dolere; ego do tibi exempla quatuor, ubi homines unico hoc vitio oſſis in eadem determinata plaga corporis immedicabiliter dolente, in vita laboraſſe a morte reperti ſunt. Somnies pro conſueta ſubtilitate hic, ſi placet nervulos, quos in oſſe non admittis, ſed, quia Tibi hic convenit, iterum in oſſe admittere poſſes; finge ſubterfugia alia; nunquam tamen hæc pathologica oſſis ſentientis teſtimonia elides.

Converſatio noſtra ſatis ſeria hucusque fuit. Oportune ad aliud deflectis parumper. Probo: varietas delectat enim. Sed nullamne materiem habebas gratiorem? Metuo ne nos adhuc plus defatiget. Primo namque Humanitati renunciaſſe parumper videris. Secundo Mortalium ingratiſſi-

tiſſimum oſtendis Te erga eos, quibus infinita debebas. Patere, Vir Clariſſime, hæc paululum explicem, relatis prius quoad primum verbis tuis.

Etiam hoc vitio vertis HAENI *Illuſtr.* (*paſſim, maxime ſub finem*) *quod nimis bene de me ſenſerit* TYSSOTUS *Vir Cl. imo non ipſe ſolus, ſed etiam* CALDANUS, *&* CIGNA, *&* PETRINIUS, *& alii pluſculi, & tota ſchola belgica, quæ ſuper naturam irritabilem medicinæ ſuæ fundamenta ſtruit* (GAUBIUS *pathol. pag.* 71. 72. 74. WINTER: *de* BIKKER *de vita pag.* 47. 60. V. GEUNS *de vita:* MAN *de natura human. pag.* 10. *&c.*) *quam eandem caput ejus ſcholæ, & ingenio, moribus, eruditione, practica laude princeps* GAUBIUS *a me conſtitutam,* A ME CONSTITUTAM, *adgnoſcit, in eo diverſus quod latius patere naturam irritabilem perſuadeatur, ego, cui vitio impu-*

tas

tas INVENTAM, *in arctiores limites contraham.*

Sit nimius TYSSOTUS, *ſi ego non fui? non fuiſſe convinco, cum nihil, ne voculam quidem, mihi ipſi elapſam cites. Quid me odiſti, quia nimis amarunt alii? Quanto æquior* TAYLORUS, *qui conqueſtus de oppreſſis* GLISSONII *ſui honoribus, a meis rebus amici voces diſtinxit. (In orat. anniv.* HARVEIANA.) *cum tamen* GLISSONIUS *irritabilitatis auctor eſſet. Sed noli laudari, inquis. Oportebat encomia ſupprimere. Multa, noli negare, nam facile foret mihi Te convincere, elogia ſubpreſſi, in iis ſcriptis, quæ meas per manus tranſierunt* FONTANÆ, CALDANI, *aliorum.* TYSSOTI *præfationem cum prodiit, longe abſens non vidi, erant forte, quæ ab optimo viro deprecatus fuiſſem. Nunc ſi placet, ſuccenſe* TYSSOTO.

NON PASSIM, ut dicis, id ægre fero, ter modo de TYSSOTO loquutus: ut

ut qui erudita eleganteque præfatione tuum ſenſibilitatis & irritabilitatis opus honoraverit; deinde refero ſententiam ejus, irritabilitatem nihil commune cum anima habentem, ſtatuentis; tandem ſub finem ægre fero quod, præ ignorantia ſtatus ſcholæ LEYDENSIS, ejusdem Phyſiologiam nimiam infra Tuam deprimat. Ergo PASSIM deleatur.

Cæterum ad quæſtionem reſpondes ſic, ut fateri videare TYSSOTUM opinionem quidem Tuam nimium extuliſſe, at vero, abſente Te, Præfationem illam condidiſſe, præfixiſſe: præſens ſi fuiſſes, Te forte multa impediturum in illa, mutaturumve, fuiſſe. Hæc faſſus, concedere etiam debuiſſes me, qui a quinquennio opus illud tuum viderim ea præfatione ornatum, me, qui nunquam Te contra illam reclamantem noverim, & merito credi-

didiſſe, & credere debuiſſe, præfationem eandem, Te approbante, editam eſſe.

Ea rerum conditione a Te, Viro humanitatem & candorem Tuum ita extollente, expectandum erat, ut reſcriberes me bene judicaſſe; ejusdem mecum Te eſſe ſententiæ; præfationem modeſtiorem futuram fuiſſe, præſens ſi adfuiſſes: petere proinde ea, quæ offenderent, veluti non ſcripta, haberem. Jam vero quid vis æqui judicent rerum æſtimatores, dum Tu, idem quod ego, condemnans, tamen ea ipſa de cauſa mihi indigneris, in me iraſcaris, imo ironice reſpondeas: „ Quid me odiſti, quia nimis amarunt „ alii . . . . . Nunc ſi placet, ſuccen- „ ſe TYSSOTO? Indignabuntur Tibi, & quidem merito.

Confeciſſem totum reſponſum, niſi obiter notandum eſſet. 1. Quod oportu-

tunam occaſionem hic captaveris, ut quas laudes tuas deprimere viderere, egregie ampliares. 2. Quod falſo jactes *totam* ſcholam Belgicam irritationi ſubſcribere tuæ; ſiquidem apprime noris ingentem ALBINUM, ejusque eximium Fratrem, duo inſignia ejusdem ſcholæ capita, luminaque, ab opinione tua alieniſſimos eſſe; ipſumque GAUBIUM, quem ita laudas, quemque laudare ſatis nunquam potes, Tuæ ſaltem ſenſibilitatis ſummum Oſorem exiſtere. Perge nunc Eruditis obtrudere, quod tota ſchola Belgica ſentiat tecum.

Eſt quoque hic notandum, quod me accuſes tanquam qui irritabilitatem a Te inventam ſcripſerim, id quod de te ipſo mox ante in hoc eodem textu affirmas quoque. Reſpondeo me paſſim de Tua, fateor, irritabilitate, locutum eſſe; at vero

propterea non negaſſe me, impium DE LA METTRIE irritabilitatem ante Te docuiſſe; quemadmodum Clariſs. TAYLOR eandem, ante utrumque veſtrum, docuiſſe GLISSONIUM, cenſuit.

Alterum quod pag. 12. argumentum aggrederis, inauditæ ſane ingratitudinis exemplum, vellem, tua maxime cauſa, Vir Ill., non attigiſſes! Itane tandem larvam detrahere omnem placuit? Infenſum intelligo Te mihi quod cenſeam ſcientiam Te tuam LEYDENSIBUS debere præceptoribus. Siccine graviter peccavi in Te? Judicabunt, qui lecturi ſequentia erunt. Hic porro morari Te oportet, ne quid nimis. Sed primo æquum eſt iræ in me tuæ cauſas prægraves audire.

Nihil, ais, *in hac tota re culpæ in me eſt: eſt aliqua in Te. Manifeſtam in-*

ju-

juriam mihi facis. Ais me ſcientiam meam me debere Leydenſibus præceptoribus, & imprimis BOERHAAVIO; *& patet undique, ideo Te mihi ſuccenſere, quod Scholam Batavam non ſatis magni* TYSSOTUS *fecerit in re, in qua quidem noſtri* PRÆCEPTORES *nihil proprii protulerunt, irritabili & ſenſibili.*

Eone igitur, Vir Cl., deventum eſt, ut tuum Senſib. & Irrit. ſyſtema unicum Univerſitatis meritum faciat? Unicam ejus conſtituat laudem? Vide quam præclara poſſides, demto hoc ſyſtemate. Nulliusne momenti illa ad laudem & gloriam? Utique ad ſupremam. Hæc porro ajo Te Patribus LEYDENSIBUS debere. Hoc ſaltem volupe te faſſurum fuiſſe expectaveram. Doleo quod neges. Imo injuriam hinc Tibi a me illatam eſſe conquereris.

Cauſam injuriæ daturus, pro more deflectis a via, qua dicendorum tuorum acritudinemne dicam, an turpitudinem, diluas. Et primum quidem gravi peccato accuſas me : *Nemo*, inquis, *mortalium, dicam præfiſcine*, non intellexi quid hic PRÆFISCINE, Veterum adverbium ad faſcinationes abigendas. Quis hic faſcinationis metus ? Conſului teutonicum Apologiæ tuæ interpretem : dicam PRÆFISCINE, ich darf es mit gutem Gewiſſen ſagen. Edoctus antea quid FAMOSUS, diſco nunc quid ſignificet PRÆFISCINE. Ergo *nemo mortalium, dicam bona conſcientia, neque Tu ipſe Cl.* HAENI, *qui turpes errores dixiſti qui fuerunt* BOERHAAVII *Rat. Med. IV. pag.* 222.

Locus ex Rat. Med. allegatus ſic habet : „ Utinam his exemplis demum ſapientes deſineremus huma-

„ no

„ no generi, nobisque ipſi, tam tur-
„ piter imponere! Hoc totum quod eo loco objicere mihi potes. Reſpondeo 1. ſi turpem Boerhaavii errorem dixerim, qui error non fuerit, & gratias Tibi monenti agam, & errorem proprium revocabo publice. 2. Si error fuerit Boerhaavi, eumque turpem dixerim, male dixi; in tantum quippe Virum non turpis, ſed levis, ſed humanus, cadere potuit. Verum neutro ſenſu me hæc dixiſſe ipſe verborum contextus docet. Lege totam paginam, ſi placet, & non abſtrahas a præcedentibus ultima verba. Non Boerhaavius, ſed nos, qui poſt errorem magnorum virorum, etiamque Boerhaavii, inſtitutis variis admodum experimentis, calorem non ſolo ab attritu pendere didicimus; nos, qui numeroſioribus experimentis, quam

BOERHAAVE, & alii magni Viri, hanc veritatem nunc compertam habemus, utinam deſineremus humano generi, nobisque ipſi, tam turpiter imponere, caloris cauſam pro more ſcholarum adhuc ſoli attritui tribuendo! Videbis relegendo aliam ſcribendi intentionem me habere non potuiſſe, adeoque interjectam hanc accuſationem tuam omni fundamento, ne pejus dicam, deſtitutam eſſe.

Subjungis accuſationi, in me injuſtiſſime illatæ, gloriationem tuam propriam, quam, an accuſatione verior ſit, videamus. *Nemo*, inquam, *mortalium me ipſo frequentius, conſtantius, laudes ſuorum magiſtrorum repetiit, famæque eorum, etiam cum diſſentiret, ardentius ſtuduit, majorique religione cavit, ne quidquam ſibi tribueret, quod deberet ipſis.* Minime, quod jactas, HALLERE, feciſti. Non laudas

Præ-

Præceptores tuos, niſi ut ipſos deprimas, eosque deprimendo extollas Te ipſum. Rogas nempe ilico: *Sed ideo non mea erunt, quæ ego aliter, quam hi Viri, quæ præterea viderim?* Porro rogo Te, an ideo tua injuſte non vocas, quæ tu aliter, quam hi viri, quæ præterea, vidiſſe te dicis, & tamen didiceris ab ipſis? Si mihi regeras EN RHODUS, EN SALTUS; probabo.

Prodiit 15. Dec. 1759. N^rus^. 150. Indicis GOTTINGENSIS Teutonici, in quo quærelæ acerbæ contra Celeberrimum ALBINUM, eo quod inventa antiquorum Diſcipulorum ſuorum, & nominatim HALLERI, ſua faciat. Patuit poſtea Te indicis, propria confeſſione, eſſe autorem. Inventa autem illa tua propria enumeras eſſe 1. de Cuticula, 2. de Periglottide, 3. quod omnia vaſis non con-

ſtent in corpore humano, 4. de Valvula Coli.

Egregium Virum, B. S. Albinum, parciſſimum ſui laudatorem, &, ſi quisquam alius, ſuum cuique tribuentem, ita iniquis tuis quærelis vexaſti, ut contra morem, contra animum, ad juſtam iniquæ accuſationis repulſionem, defenſionem ſcripſerit: quam iniqua ſane importunitate tua ut non extorſiſſes, nos amore tui optaſſemus. Æterno dedecori tuo monumenta proſtabunt, quod quatuor has res, quarum inventorem te jactas, olim longe melius, multoque caſtius, quam nunc easdem tenes, in Schola Albiniana didiceris; monumenta, inquam, ex ipſis anterioribus ſcriptis petita tuis; petita ex Diſſertationibus Te, Leydenſi Academico, prioribus, Tibique nihilominus propria citatione notiſſimis; quæ luce clarius demonſtrent,

ſtrent, etiam antequam inclytam illam Scholam accederes, easdem illas res quatuor, quarum Autorem publice Te jactas, Albinianis in Scholis tradita eſſe, poſtmodum tradita & Tibi fuiſſe, & ſemper quotannis tradi. Teſtor ipſe ego, quinquennio Te junior Academicus, res easdem me a ab inclyto Viro edoctas, demonſtratasque fuiſſe; quas Tu, primo tuo tempore, ipſi, cui debebas, tribuiſti publico teſtimonio; quas dein Caauwio; quas tandem ipſi Tibi adſcripſiſti. Lege ſerio quæſo in hanc rem manſueti Albini Libr. V. Acad. adnot. Hoccine ergo tuos appellas revereri Præceptores? Et adhuc audes a me rogare, „ ſed ideo non „ mea erunt, quæ ego aliter quam „ hi Viri, quæ præterea, viderim? „

Pergis quo pede cepiſti. *Cogis me vera loqui*, ſane non falſa. *Quæ tamen*

ma-

maluiſſem tacere, utinam Tui ipſius amore tacuiſſes, & mihi hunc reſpondendi laborem peperciſſes! *Ne de me ipſo loquerer*, quod mortalium nemo libentius te facit. *Leydam appulli annos nondum natus ſeptemdecim*; indicio felicis ingenii, quod ad ætatem illam Linguas, Phyſicam, Matheſin, &c. poſſideat, ut ad Medicinam nunc potuerit totum adplicari. *Diſceſſi annos nondum natus novendecim, Anno* 1727. *menſe Julio, Doctor renunciatus menſe Majo, cum Anno* 1726. *ab explorante profectus meos* BOERHAAVIO, *tunc in Facultate ſolo, inter Candidatos fuiſſem receptus.* Careo Hiſtoria vitæ tuæ, quam conſcribi curaſti, alioqui examinaturus in illa, num alibi Medicinæ haud ſtuduiſſes, antequam BATAVAS ſalutares ATHENAS: ſed ſi nullibi, ut hic ſaltem præfers, argumentum novum præbes felicis ingenii, biennii ſpatio

ita

ita proficientis, ut nullus dubitaverit BOERHAAVE Te inter Candidatos recipere.

Cadavera humana ſex apud ALBINUM *vidi, quorum unum ſolus cum* J. GODOFREDO DU BOIS *diſſecui, ægrotante* ALBINO. Quinque ergo demonſtrante ALBINO vidiſti. Plurima ſane inde diſcere potuiſti, ſi conſideremus binas ab illo Lectiones die dari, ſpatioque 3. aut 4. ſeptimanarum ſingula pro demonſtratione cadavera ſervari, imo & dies aliàs a lectione vacuos demonſtrationi impendi.

Vidi myologiam, & oſſa ſicca, nitide demonſtrantem ALBINUM. Ergo vidiſti quid rari, quid elegantis, aliquid ad Anatomen, ad Phyſiologiam, ad Chirurgiam pulcre addiſcendam, directi operis. *Cæterum neque nervos, neque vaſa, neque recentia oſſa*; ſcilicet non ita quidem, ut pro horum ſingulo-

lorum demonſtratione integrum Cadaver deſtinaretur; ſed ita tamen nervos, vaſa, recentiaque oſſa demonſtrantem vidiſti, ut inde neceſſaria tibi fundamenta caperes, quibus innixus minutiora dein proſequi potueris; *neque viſcerum* WINSLOVIANAM *aliquam hiſtoriam*, non WINSLOWIANAM, ſed ALBINIANAM, eamque egregiam; *neque experimentum omnino ullum*; temporis ad magis neceſſaria deſtinati penuria, experimenta quidem multa facientem Virum Cl. non vidiſti; aliqua tamen, ut de valvula coli diverſimode præparanda &c. cæterum infinita experimenta audiſti enarrantem, quæ pro lubito imitari dato otio potuiſti.

Vidi vero non 112. (quæ teſtatus eram me vidiſſe) *ſed plura etiam quæ vocas præparata, aut* RAVII, *ut multa fuerunt*, de RAVIANIS non agitur, ſed

de

de ALBINIANIS, *aut* ALBINI, *qui ipſe, cum de Academia Leydenſi diſcederem, erat annos natus 28.* Quid toties magni Viri tunc temporis ætatem cavillas? Extorſiſti ſic illi reſponſum, quod ACAD. ANNOT. LIB. V. pag. 10. tibi dedit: „ Sit: nihil ad rem; niſi ſi-
„ gnificetur fuiſſe me, cum HALLE-
„ RUS adeſſet, tironem. Neque erat
„ ætas illa. Juvenis cum mortuis
„ fui totus, colligens quæ uſui futu-
„ ra ſint. „ Si dubitas, HALLERE, vide quæ de ipſo, ſexennio minore, immortalis BOERHAAVE memorat in ORAT. FUN. Patris ALBINI: „ Habuit
„ & præclari conſilii in educandis li-
„ beris fauſtiſſimos eventus genero-
„ ſus parens: domum ejus qui in-
„ grederetur, ſacram honeſtæ Diſci-
„ plinæ ædem venerabatur, Muſis
„ ſeveris junctas decentes gratias,
„ gratamque de pulcris venientem
„ cor-

„ corporibus virtutem, admirabatur.
„ Prodiit inde, qui vigeſimo & ſe-
„ cundo juventutis anno grave mu-
„ nus in hac Academia digne potuit
„ ſuſtinere, BERNHARDUS SIEGFRIED
„ ALBINUS, exemplum dans, quid
„ cultura faciat boni Patris ad matu-
„ randum fertile ingenium, dum cru-
„ da hujus ætas, & juventa viridis,
„ fructus non acerbos, ſed coctos,
„ & maturos, profert. „ Forte ſuſpicaberis, ſuſpicandi artifex, nimia dixiſſe BOERHAAVIUM. Repete ergo, quam legiſti toties, ALBINI publicam Orationem de ANATOME COMPARATIVA, quam 20. annos natus, quum Anatomes Lectoratum aggreſſurus eſſet, habuit; relege Orationem, QUA IN VERAM VIAM, QUÆ AD FABRICÆ HUMANI CORPORIS COGNITIONEM DUCAT, INQUIRITUR, quam annorum 22. cum eſſet, profeſſoratum auſpica-

caturus, habuit; relege, inquam, & erubeſce de odioſa repetitione ætatis Cl. Viri. Vix Tu, triennio ipſo major, opus momentoſum, difficillimumque edere ſuſtinebas; fueritne ideo ineptum Tironis conamen?

Sed adhuc Te paucis. Multa numeras, quæ apud Albinum didiceris, ſed non omnia, non præcipua, non ipſam Phyſiologiam: & qualem? Albinianam dixiſſe ſufficiat. Si ſtudio omittis, ne Phyſiologiam ab Albino edoctus videare, vocasne, Vir Illuſt. id, gratitudinem exhibere, qua majorem nemo mortalium? Apage cum tuis jactationibus! Si autem mera oblivione; refrices, quæſo, debilem memoriam legendo ejusdem Libros Academ. Annot. & maxime Quintum, quo convinceris quatuor illa Phyſiologiæ capita, quorum Te gloriare Inventorem, in Collegio Phyſiologico Albi-

NIANO Tibi oſtenſa, Tibi explicita, Tibi demonſtrata fuiſſe.

Hæc Tibi, Vir Clariſs., nuda debui ante oculos ponere, quo in reſpondendo ad ſequentia tempori parcerem. Pergis enim ſic: *Nunc judica Tu* HAENI, *ad Teipſum provoco, fueritne ea incredibilis adeo & portentoſa diligentia, memoria, perſpicacitas mea, ut ambitum difficillimæ ſcientiæ, ſi quammaxime edoctus accepiſſem, intra biennium recipere juvenili, & pene puerili, potuiſſem animo?* Relege præcedentia, reſponſum habebis.

Sed aliud ſubjungis, quod perpendamus. *Quæ in Codices retuli a* BOERHAAVIO *percepta, ea edidi, Tu vitioſa vocas.* Vitioſa jure vocavi, quod mendis plena, cummaxume in pathologia, cujus vix pagina ſit, quæ non contineat contra ingentis Viri mentem errores; nec multis mendis immune

per

per totam Phyſiologiam exemplar tuum, ut me meum docet, quod quatuor variis Phyſiologiæ curſibus ex ore Præceptoris adornavi. Nihilominus, ſi vitioſum exemplar tuum habeo, ideone dixerim Te mentem ejus in multis aſſecutum non fuiſſe, ex iisque doctum Phyſiologum fieri non potuiſſe? Id ſane non cogitavi. Doctiſſimum ex Boerhaavianis Phyſiologum, quamvis in non paucis emendandum, Te lubens agnoſco.

Sed alia de Albinianis notis habes. *Quæ ab* Albino *pronuntiata conſignavi, ea in chartas per ſummum frigus conjeci, & adeo ægre lego, ut ſubinde in legendo errarem, & denique laboris pertæſus deſierim legere.* Hyeme, Hallere, manus nobis cunctis frigebant, & tamen propria adverſaria, ſi non verbotenus, ſenſu intelligimus ſaltem. Nunquid vero etiam Tibi manus, dum

æſtate Phyſiologiam audires, frigebant? De ea enim potiſſimum ſermo eſt. Tandem non ſemper eſt hisce Adverſariis opus. Egregios viros noſco, qui felici memoria dicta Præceptorum recondentes, nulla in Collegiis Adverſaria facerent.

Ab eo tempore dic nulla me ſecuiſſe cadavera, nulla experimenta feciſſe, non audiiſſe WINSLOWUM, *aut* BERNOULLIUM, *nullos legiſſe libros, nihil docere a* BOERHAAVII *placitis alienum, aut* ALBINI *dubiis. Miſerum eſt male audire immeritum, multo miſerius ſe ipſum laudare.* Multas quærelas, egregie HALLERE, conjungis, inique tamen ex meis deductas. Relegendo mea, convincere erroris. Multa in anatomicis ac phyſiologicis feciſſe Te faciles dabimus omnes, gratique agnoſcemus. In multis tamen a Præceptoribus deſciviſſe Te, & ipſe fateris, & omnes no-

novimus. Benene an male? Et ſi quandoque Bene, an inde tantam debuiſſes Tibi autoritatem arrogare? Examinabimus.

Multa & egregia in Anatomicis & Viviſectionibus, quantumvis in multis erraveris, præſtitiſti, eximie HALLERE, ſed, communi multorum vitio, dum ex hisce ratiocinari inchoaſti, prudentiſſimas a Præceptoribus noſtris datas ratiocinandi leges, mihi multisque negligentius obſervaſſe videris. Utinam obtemperaſſes ALBINO! qui necdum 22. annis major, dum pag. 46. ORAT. PUBL. impenſe laudarat Anatomicorum in vivis animalibus detecta myſteria, tandem & Te, & omnes, admonuit, ne facile a brutis ad hominem concluderemus. Laudandus in eo es, quod Artis extendere pomeria ingenti labore coneris; ſed quod minus exacte, ſæpe tumultua-

 rie,

rie, frequentiſſime erronee, inde concludis, vituperandus es. Animalia viva ſecta exhibuere ea Tibi, quæ ſcribis: ſed an omnibus eadem? Minime, ideoque experimenta eadem ab aliis eodem modo capta immenſum a tuis diſſonant. Animalia viva ſecta exhibuere Tibi ea, quæ ſcribis: ſed an inde id conficere debuiſti, quod animalia illa has, quas vidiſti, actiones, ea, quæ obſervaſti phænomena, eadem prorſus ratione egerint, ediderint, exhibuerint, dum non læſa, non vulnerata, non aperta eſſent? Dum animal ſaucium, dolore contortum, metu perculſum, nervis convulſum, quanta in humoribus, in vaſis, in omnibus, mutatio! Quantopere differat oportet Viſceris actio, dum, vulnere facto, ablata reſiſtentia eſt, ubi olim omni de parte compreſſio! Quam abſimilis omnium con-

di-

ditio, elabente cruore, ſemiabſciſſo hic nervo, integre illic; enormique humorum copia, ſecundum æternas œconomiæ animalis leges, jam de toto corpore ad laceras ſauciasque partes determinata & derivata! Unde aliter putas ejuſdem experimenti, a variis editi, diſcrepantiam, a WEPFERO puta, BRUNERO, PEYERO, CHIRACO, SENACO, CAAUWIO, multisque aliis Viris in arte claris? Tandem Animalia viva ſecta, repeto adhuc, exhibuere ea quæ ſcribis: ſed, amabo! ſi ex illis neutiquam concludere potuiſti, quod eadem & non læſa, ſed ſana, & integra, eodem modo functiones illas exercerent, quomodo demum eo abſurditatis perveneris, ut non modo in animalibus ſanis, ſed etiam in hominibus eadem ſic peragi conficeres? Quot inania ſpatia, quan-

tas abyſſos, quales in hoc paradoxo tuo ſaltu tranſiliiſti hiatus!

Male ergo, HALLERE, omnino male deſciviſti a Præceptoribus, exempla hortatusque eorum negligendo: corrigere voluiſti illos; non correxiſti, imo potius quæ vera, quæ certa, quæ bona Tibi tradiderant, perdidiſti. Quod unicum Tibi, ni fallor, remedium ſupereſt, hoc erit, ut eo redeas, quo clari illi viri duxerant Te; utque hic pedem figens, experimenta tua repetas, caſtiges, cum aliorum experimentis conferas, & non, niſi Practicorum conſulto teſtimonio, unquam ex illis concludas quidquam.

Probavi, quod in multis injuſte deſciveris a magnorum Virorum Lectionibus. Probaturum me promiſeram, etſi in quibusdam rite ab iisdem deflexiſſes, nimia tamen Te Tibi arrogare. Qui vi principiorum a Magi-

ſtro

ſtro ipſo datorum, ab ejus ſententia quandoque deflectere cogitur, ita, ſi probus eſt, in eo gerere ſe amat, ut mutationis honorem tribuat ipſi. Vi veritatis compulſus ita adhuc egi in eo, quem contra Te tractatum conſcripſi. Didiceram id a bonis omnibus. Tu vero, Hallere Venerande, quo unquam animo legis titulum magni Phyſices operis Viri incomparabilis G. Sgravesande, qui certe longe meliore jure, longeque plura, in Mathematicis & Phyſicis, Sua appellare poterat, quam Tu in Anatomicis & Phyſiologicis? Omnibus editionibus titulum ſemper præfixit in honorem Newtoni, Introductio ad Philosophiam Newtonianam. Et quod confundere Te oportet, eſt id, quod in monitu ad alteram Editionem pulcerrime ſcribit: „ Quamvis in multis, ait, quæ ſpectant memoratas

 „ Theo-

„ Theorias A NEWTONIANA RECESSE-
„ RIM SENTENTIA, non tamen Titu-
„ lum INTRODUCTIONIS AD PHILOSO-
„ PHIAM NEWTONIANAM, ſervare, &
„ huic ſecundæ editioni inſcribere,
„ ullo modo dubitavi. Varia enim
„ in hisce illuſtramus ex iis, quæ ab
„ eximio illo Philoſopho fuere tradi-
„ ta; & pleraque, quæ hic explica-
„ mus, eo conducunt, ut facilius in-
„ telligantur a ſummis Philoſophis in
„ perpetuum celebranda, & a nemi-
„ ne unquam ſine admiratione legen-
„ da, NEWTONI ſcripta philoſophica.
„ Qui tantum ex phænomenis, omni
„ ficta rejecta hypotheſi, in phyſicis
„ ratiocinatur, & quantum in ipſo
„ eſt, caſte hanc methodum ſequi-
„ tur, ille NEWTONI veſtigiis inſiſte-
„ re conatur, & merito NEWTONIA-
„ NAM ſe ſectari Philoſophiam profi-
„ tetur, non autem ille qui in verba

„ ju-

„ jurat Magiſtri. „ Audiſtine Virum NEWTONIANUM, Vir Ill. qui in multis a NEWTONO recedens, nec jurans in verba Magiſtri, omnem nihilominus honorem illi defert, totumque immenſum opus non ſuo, a quo tamen tam multa, ſed illius, a quo præcipua, nomine honorifico inſignit? Et Præſes Ill. noſter, dum tot labores ad BOERHAAVIANA adjecit, dum in multis a magno Viro recedere cogitur, nunquid minus ideo ſibi honoris putavit, quod opus, ut meretur, BOERHAAVII nomine ſuperbiat? Scio quoque ego quid BOERHAAVIO debeam, quid ALBINO; & quamdiu ſpiritus hos reget artus, gratus ſemper teſtabor.

Saltem mihi nihil magis volupe, quam eam totam Inſtitutionum BOERHAAVIANARUM partem, quæ a Pathologia inchoat, ſingulo Biennali curſu

Aca-

Academico, pomeridianis pro ſuggeſtu lectionibus exponere, matutinisque ad lectos ægrorum accommodare. Nec ſatior unquam pulcritudine admiranda libri, quem ingens, dum viveret, WINSLOW merito totius Bibliothecæ Medicæ præſtantiſſimum pronunciabat; libri, inquam, qui non niſi purus putüs HIPPOCRATES eſt, ſed ad lucem HARVÆANAM, cultioremque anatomen, inexhauſto BOERHAAVII labore emendatus. Quæ, poſtquam ille hunc libellum ediderit, nova, quæ pulcra, quæ certa, quæ meliora, poſteriores ſcriptores invenerint, aut detexerim ego, adjicio; integro ſemper honore Autoris, qui unus, id enim mortalium nemini datum, omnibus abſolvendis, obſcurioribusque elucidandis, non fuerit.

Tu vero, HALLERE, degener Præceptorum Diſcipulus audies, maxime poſt-

quam

quam in hac Apologia tua ingrati erga illos animi indebile teſtimonium univerſo dederis Orbi.

Sequuntur, quæ ad finem 14. & ad principium 15: paginæ habes; ſed recenſebo ut Apologia tota ſit inſerta reſponſioni, haud vero ut refutem; refutata namque hæc omnino ſunt in præcedentibus. *Non ferent tamen alii Phyſiologiam 112. præparatis contentam. Ajent abeſſe motum, quem ſola experimenta patefaciant. Phyſiologiam ab anatome motu differre. Neque circuitum ſanguinis, neque reſpirationem, neque muſculorum motus, neque ciborum coctionem, neque generationem ex ejusmodi præparatis, etiam pulcherrimis, etiam* Albinianis, *aut Tu diſces, aut quisquam. Vivorum animalium inciſiones, & nonnunquam mortuorum, ſolæ hic viam aperuerunt veri.* Dixi refutata jam eſſe: Neceſſitatem ſcilicet atque utilitatem in-

inciſionis ejusmodi & Tibi, & nobis, a claris Præceptoribus abunde inculcatas fuiſſe; nec illos cenſuiſſe ex meris præparatis omnia adamuſſim intelligi; & priora demonſtrarunt, & tu apprime noſti. Utinam modo neceſſarias, quas illi nobis adeo inculcarint, prudentiæ leges; utinam juſtos, quos intra bonum Philoſophum ac Medicum manere debere docuerint, terminos, in tantum & tuum, & Artis detrimentum, non eſſes turpiter transgreſſus!

Poſt ambages tantas interpoſitas, abruptum Apologiæ telum retexturus, ad quæſtiones peculiares redis, & occaſione Hiſtoriæ BOERHAAVIANÆ antiquam de tendine crambem recoquis. *Ita me*, inquis, *quaſi injurium* BOERHAAVIO *accuſas, qui tanto viro indignum errorem imputem, habiti pro tendine nervi. Non recte legiſti* BOERHAAVII *hiſto-*

riam.

riam. Non ita narrat Ill. amicus Tuus (ex comm. Ill. v. Zwieten *Tom. I. pag.* 241.) *eam Chirurgi culpam, ut neceſſe ſit* Boerhaavium *præſentem fuiſſe.* Monuerat, *inquit, non monuit, neque monebat.*

Non prævideram hanc tuam ingenioſiſſimam fingendi facilitatem, dum hiſtoriam hanc ſimpliciter enarrabam; alioqui certo addidiſſem hiſtoriam hanc me ab ipſo Boerhaavio aliquoties ſic percepiſſe, ut præſens viderit, atque monuerit; ſi igitur olim ſimpliciter rem narraverim, neminem fore qui de ea unquam cavillaret, ſuſpicatus, jam addo meum proprium teſtimonium veritatis. Ergo patet, quam inane ſubterfugium quæſiveris.

Sed non potuit nervus fuiſſe, quem Chirurgus arripuit. Ita Tu perſuaderis. Sed ego tendines hominum vivorum volſella continui, preſſi, vidi ferro ſtimula-

ri,

ri, nihil inde vel ſenſus ſecutum eſt, vel motus. Viderunt ſimilia alii.

Dudum ad hæc reſpondi; paucis repetam. Vidiſti, Vir Clariſſime, tendines hominum vivorum nec ſentire, nec moveri; in quot autem hominibus? præ paucitate non addis, ut videaris in plurali loquutus multa demonſtrare; ſed cum hæ occaſiones paucæ offerantur, multamque nunquam aut habueris, aut habeas praxin, ſuſpicabimur in paucis admodum hominibus te hoc obſervaſſe. Nec explicas quo modo: vidi idem ego, & contrectationem meam in tendine Extenſoris pollicis homo ſine dolore ferebat; at vero poſtea patuit tendinem hunc jam emori cepiſſe, ut & abſcindendus poſthac fuerit. Non dicis, quid hominibus tuis contigerit poſtmodum. Cæterum videris in nonnullis ſanis tendinibus; non obloquor:

con-

conſtitit plures id Tecum obſervaſſe, ſed multo magis tendinis ſenſibilitatem. Male ab inſenſibilitate rariore ad univerſalem te concluſiſſe, ſupra conſtitit.

Addis demum : *Quam facile fuit* BOERHAAVIO *veros vidiſſe tendines, & tamen Chirurgo promtum, decurrentem proximo tendinibus tibialem poſticum nervum, maximum quidem, volſella comprehendere. Et denique homo fuit.*

Subterfugia undique quæris, ut ſi unum obturetur, per aliud evadas. Si demum concedere cogaris præſentem monuiſſe BOERHAAVIUM, conaris culpam in Chirurgum deflectere; ſed vide, egregie Vir, quam infeliciter! Dolente & convulſo homine, adeo in Anatomicis hoſpes BOERHAAVIUS Tibi eſt, ut neſciat nervum vicinum, eumque inſignem, prehendi potuiſſe, hincque hominem; & neutiquam a tendine, doluiſſe. De-

ſine tandem ſubterfugia quærere; quo enim plura quæris, eo graviores contumelias in Sapientiſſimum mortalium congeris.

Supererat reſpondendum ad ignorantiam græcæ Linguæ, quam viſus eras BOERHAAVIO affricuiſſe. *Non* BOERHAAVIUS, ais, *ob ſimilitudinem nominis nervorum, ſed ii errarunt, qui primi tendines a nervis deduxerunt, & pariter dixerunt ſentire. Ab iis ad poſteros error manavit.* Quo tandem pervenis Hallere! Eſt, te teſte, ipſe, quem hic ſugillas, BOERHAAVIUS: Lege DISSERT. DE SENSIBIL. pag. 9. & erubeſce! „ Quand Mr. Boerhaave „ eut établi, que les nerſs étoient la „ baſe de tous nos ſolides, IL EN VINT „ BIENTÔT à ASSÛRER, QU'IL N'Y „ AVOIT AUCUNE PARTIE DANS LE „ CORPS HUMAIN QUI NE FUT SENSIBLE, & capable d'un mouvement „ pro-

„ propre, & ce ſyſteme, dont j'ai „ fait voir aillieurs l'inexactitude, A „ ETE' ADMIS PRESQUE GENERALEMENT. Hoccine tandem vocas excuſare, ac BOERHAAVII tueri honorem? Peto hanc a te gratiam, ut nunquam excuſare me, meumve honorem tueri tentes. Pejora metuerem.

Quid quod ultimo hoc textu ſciens & volens immortalem virum calumnieris, quem alibi ipſe narras *nervos quosdam inſenſibiles cenſuiſſe*; quomodo ergo nunc aſſeris de eo talia? Affirmas, negas, addis, demis, minuis, auges, mutas, ſubſtituis, in magnorum virorum ſententia, prout libuerit, prout in rem convenerit tuam.

Interponis pag. 16. novam in me criminationem. *Facile etiam perſpicuum eſt ex omnibus paginis, Vir Ill. voluiſſe Te me refutare, & cum eo animo ad opus acceſſiſſe.* Toties oſtendi me

officio coactum ſcripſiſſe. *Nunquam alias a Te ipſo impetraſſes, ut in magno opere, in tot experimentis, nihil probares meorum, quæ tamen non auderes falſi arguere, quæ habuerint illuſtres & gnaros non laudatores, ſed teſtes.* Mirus mihi per omnia videris HALLERE, mirus omnino. Criminationem Nobiliſſimo ALBINO feceras, quod nullibi laudaſſet te, eandemque mihi renovas. Non laudavit ALBINUS opera tua, quo parceret tibi; reprehenſurus, ſi laudaret: eadem & mihi te non citandi ratio fuit. Cum enim omnia tua ad ſyſtema irritabilitatis & ſenſibilitatis, novarumque quarundam Anatomicarum rerum immeritam gloriolam collinearent, magisne corrigendo, quam tacendo, placuiſſem? Minime ſane: docet enim hæc tua Apologia, quod corrigentem non feras. Jactas APOL. pag. 5. „ Te ornaſſe me,

„ ut

„ ut potueris, omnibus, quæ in bene „ meritum virum cadere laudibus „ poſſint. „ Video id maxime in Tom. III. ELEM. PHYS. Feciſti id, non quod vili animo abs te petiiſſem, ſed quod experimenta mea, ſuper ſanguine humano facta, tuis confirmandis apta cenſeres. Quod ſi non feciſſes, utique ægre minime tuliſſem. Edo mea, de futura eorum ſorte nihil ſollicitus, apud Bonos aut laudem, aut correctionem, aut indifferentiam, conſecutura gnarus. Si me laudaveris, quo a me laudere, falleris: ſolo rerum pondere obſervata mea exiſtimentur! Nemini ea commendo.

Probaturus ultra quod ſolo te refutandi animo calamum arripuiſſem, ſic proſequeris: *Nego tendinibus nervos eſſe & ſenſum, tu affirmas*; idque ſolo Te refutandi animo? Ad nauſeam usque ad ſutilem hanc objectionem

reſpondi. Es mihi, Vir Ill., Anatomicus ſolers, es in experimentis capiundis indefeſſus artifex. Hæc mihi de tendine dicis. Sed alii plurimi, eosque inter Anatomicorum vere principes, experimentis edendis indefatigati, plane contrarium mihi dicunt. Adjungitur his omnium ſæculorum experimentis nata Autoritas. Praxis Medica atque Chirurgica cum his omnino facit. Igiturne a me, HALLERE, velles, ut horum omnium gnarus, tuum tamen ſyſtema ex Cathedra docerem, & dum Academicæ diſputationes habentur, peremtoriis oppugnantium confunderer argumentis?

Dico cordi nervos eſſe, dicunt omnes, ergo & ſenſum aliquem; Tu negas cor ſentire, ut mihi facias male, cujus e re eſt ab irritabilitate ſenſum removere quam longiſſime. Nego, fateor, cor ſenti-

re;

re; ſed cur nego? 1. Quia tot experimenta me id docent: dicis equidem paulo poſt a morbis cordis argumentum contra cordis ſenſum atque irritabilitatem non dari; an igitur in morbis cutis, in morbis muſculorum, eorum & ſenſibilitas perit, & irritabilitas? Ita, dices, aliquando. Convenio Tecum, modo mihi concedas easdem partes functioni ineptas eſſe, adeoque cor ſecundum Te oportere per morbos ad functionem, quam ipſi aſſignas, eſſe ineptum. Ergo eo ipſo fateri deberes alias dari, quam Tu admittis, motus cordis cauſas. Nego cor ſentire, 2. quia, quamvis cor nervos habeat, habet tamen nervos ſenſui non deſtinatos, ſed motui; quemadmodum Boerhaavium docuiſſe noſti, ac olim docuiſti ipſe.

Multis contra cordis irritabilitatem diſputas, anne ſerio credis non eſſe irrita-

bile? Poteſtne ullus mortalium in dubium revocare, num a ſtimulo vario, num a ſanguine impulſo, ad motum irritetur? Num dubitas ipſe ſolus, puto, hominum, certe meorum adverſariorum?

Triſte eſt ad ejusmodi confugere Te, quibus malam de me ſuſpicionem Eruditis facias. Vel oportet nullam differentiam Te facere, inter ſententiam quæ cor ſola irritabilitate agere neget, & quæ nullam omnino irritabilitatem admittat. An vero unica Tibi altercandi voluptas, quod talia roges? Numne negaverim unquam? Vide quoties admiſerim! ſed inſufficientem, ſed ad opera, ad quæ volebas, perficiunda ineptam.

Et ſi non dubitas, quæris, *neque enim eo Te crediderim erroris progredi, cur congeris ſcrupulos, quibus poſſis denique docere, non poſſe nos laqueis tuis nos ſolvere, ſed nunquam conficies, ut*

ea non vera ſint, quæ ſenſus ipſi docent. Faciesne per morbos, per conſequentias, ut ea quæ vidimus, non viderimus? Et ego, & viginti alii Cl. Viri, nullo mecum niſi communi veritatis vinculo uniti?

Intelligo hinc, quid laqueos voces. Nemqe quod corpora morboſa oppoſuerim tibi, & inde Consequentias duxerim, quibus irritabilitatem, ut veram motus cauſam, conſiderandam non eſſe, arguerem. Mox dixi quod, ſi aliarum partium ſenſibilitas & irritabilitas morbis deſtruatur, ut hinc argumentum contra ſenſibilitatem, irritabilitatemque, formari nequeat, etiam pereat illa cordis qualitas: adeoque deperdita illa qualitate, cor ſe movere per annos ſine irritabilitate pergat in datis exemplis.

Nihilominus dabo tibi, Vir Clar., imperfecta illa experimenta eſſe, quæ ex morboſis, quæ ex vulneratis, ſive

hominibus, ſive brutis, petantur. Ita a communibus noſtris didiceramus præceptoribus. Idem nos 22. annos natus docuerat ALBINUS. Unde ea lege fatebor tibi mea morboſorum experimenta imperfectiora eſſe, quam ut ex amuſſim id, quod ſano, quod vegeto in corpore fiat, demonſtrent, ut Tu, a tua parte, idem de tuis vulneratis fateare corporibus. „ Neque „ enim eo te crediderim erroris pro- „ gredi debere „ ut ſtatuas, quod per Carnificinam tuam in ſemimactatarum victimarum cordibus contemplaris, idem ſtatuas omnino in ſano, integroque animali contingere. Statum utique penitus præternaturalem, & vulnera tuorum ponunt, & meorum morbi. Ergo neuter noſtrum inde certo affirmare poteſt, quid in illibata contingat ſanitate. Ambo tamen aliquid concluſimus. Sed differt admodum na-

tu-

tura concluſionis. Tu concludis in ſanis & integris id fieri, quod in vulneratis, quod in ſemimortuis, quod in expirantibus, obſervas; ego modo ex morboſis concluſi totum ſyſtema tuum mancum eſſe, longeque minus id ad hominem, cujus tota natura diverſa eſſet, adplicari poſſe; cæterum explicans ego nihil, ignorantiam faſſus ſum. A Te, optime Hallere, a Te, inquam, eo ſapientiore quondam, quo modeſtiore, didiceram „ mirabilem aptitudinem ad motum, quæ „ in quibusdam animalibus ſit, in „ noſtro certe corpore non obſervari; de Ranarum, piſciumque motionibus ſollicitos nos non eſſe, quarum vel in Plantis analogia extet; „ indicio aliis legibus ea corpora regi. Prælect. in Inst. Boerh. Vol. 2. pag. 601. Tui oblitus, jam in Medicina cum Anguillis repere videris,

na-

natare cum piſcibus, cum Ranis coaxare.

Si interim experimenta v. g. ranarum pergis in homine urgere, fies nobis mirificus demum autor. Eſt in præparatis Ill. B. v. SWIETEN Rana, cui ad tabellam ligatæ mucronem cordis Vir Illuſtriſſimus abſciderat, perque illam aperturam inducto ſiphone ceracea Ranam impleverat materie. Felix ita injectio fuit, ut nudo oculo cernas arteriolam a Retina ortam, per centrum Vitrei petentem poſtica lentis, ibidemque plures in ramos diviſam. Porro injectum animal, repletum liquido prorſum alieno, jamque ſtagnare cœpto, in vaſis ſuis, dum a tabella ſolveretur, mox aufugit alacriter, ut quæri demum comprehendique debuerit. Videas Tu, qui ab hoc Amphibio ad hominem conſequentias

tias urges, quam paradoxum nobis hominem fiсturus ſis!

His interjectis, *eamus nunc per ſingula*, dicis. *Digiti undique nervis replentur, majoribus in flexoria, minoribus in extenſoria ſede, multis etiam ad latera. Hæc doloris ſedes in Paronychia.* Nihil juvabit Te nervorum multiplicatio. In Paronychiæ ſpecie frequenti dolor ſolvitur, non transverſa nervi perſciſſione, ſed longitudinali, ad intimam ſic penetrante phalangem, ut & oſſiculum, & tendo (ambo tibi inſenſibilia) acri ichore, adeoque dolore, leventur. Ad hoc Tibi reſpondendum erat. Verum caviſti, cum victas debuiſſes manus dare.

Nervos inſenſiles me ais dicere pag. 13. Criminatio æque parum vera, quam omnes priores! Ubinam, amabo te! id dixi? Ad pag. meam 13. me remittis, ſubjungisque: *Nunquam*

ejus-

ejuſmodi error ne per conjecturam a me traditus eſt, qui tot exemplis evicerim, quam acer ſit nervorum ſenſus. En igitur quæ ego ſcripſi, ea pag. 13.
„ Multa experimenta Doctiſs. HALLE-
„ RUS habet, quæ demonſtrent ab-
„ ſciſſos integre tendines, IMO ET
„ NERVOS, modo nervorum ramuli
„ vulnere paulo ſuperiores, a reſi-
„ liente trunco diſciſſo non trahantur,
„ minime dolere. Hæc omnia con-
„ veniunt cum obſervatis omnium
„ autorum. Vid. PETIT de Off. &
„ ILL. PRÆS. in Comm. ad §. 164.
„ pag. 241.

Atque hæc quidem ſcripſi. Credideram tuto ſic ſcribere me poſſe, dum Tu, Vir Ill. ita haberes pag. 46. 47. DISS. DE IRRIT. 1756. „ Des
„ qu'une partie du corps eſt ſenſible,
„ on ne peut point conclure qu'elle
„ ſoit irritable, & la diſſection d'un
„ nerf,

„ nerf, QUI DETRUIT LA SENSIBILI-
„ TÉ, ne detruit point l'irritabilité. „
Deinde apprehenſo animalis nervo phrenitico, ſic proſequeris: „ Cette
„ compreſſion irritant le nerf, met
„ le diaphragme en mouvement: ſi
„ je lie le nerf, & que j'en irrite la
„ partie inferieure a la ligature, la
„ meme choſe arrive; ſi je le coupe,
„ & que je l'irrite au deſſous de la
„ ſection, OU IL N'Y A PLUS DE
„ SENTIMENT, parce qu'il n'y a plus
„ de communication avec le cerveau,
„ le diaphragme entre egalement en
„ convulſions. En coupant le nerf
„ crural d'un chien ON PRIVE SA
„ JAMBE DE TOUT SENTIMENT, &
„ on peut la déchiqueter ſans le faire
„ ſouffrir; cependant ſi l'on irrite le
„ nerf, que l'on a coupé, les mu-
„ ſcles de la jambe fremiſſent enco-
„ re. Cette jambe eſt donc irritable,

„ QUOI-

„ QUOIQU'ELLE SOIT INSENSIBLE. Et pag. hujus Apol. 18. „ Nervus ab- „ ſciſſus non dolet. „

Fateberis ergo ſtatuiſſe Te nervi ſub ligatura, abſciſſioneve, inſenſilitatem; ſed quid dixi aliud ego? Dum ergo nunc ſcribis „ Nervos in- „ ſenſiles me ais dicere pag. 13. „ vel ſic ſcribis ut Lectores tui credant me id ita univerſaliter de Te affirmaſſe, quod ipſi melius norint, adeoque me credant mendacem; vel ut evites confeſſionem veritatis ejus, quam inde deduxeram, concluſionis, dum ſic ajebam: „ Verum ſi abſciſſus inte- „ gre nervus, ſub expoſita mox con- „ ditione, non doleat, an ideo ner- „ vus eſt inſenſibilis? Negabit ſane „ Autor, noſque cum illo. Cur er- „ go eandem ob cauſam ita conclu- „ dit circa tendinem integre abſciſ- „ ſum? „ Vel denique, inde patet ſcri-

ſcripturum Te, neque quid refutare debeas, neque quæ antea ſcripſeris, recordari. Igitur ſi primum; poterunt jam Lectores, qui primam meam Diſſertationem non viderunt, intelligere me vera ſcripſiſſe : ſi alterum; oſtendis cauſæ deſperationem tuæ : ſi tertium; rogaris aut ultra non ſcribas, aut curatius tum ſententiæ propriæ, tum adverſæ, refrices memoriam.

Pergis. *In homine tendinem tamen dolere ais, pag. 19. Non dolet. Vide experimenta in homine (experimenta præter noſtra, 17. Mem. &c. T. IV. p. 153. 154.) bene multa, quæ aliis nuperis* Cl. RICOU, & Cl. PERENOTTI, & *Chirurgus Tigurinus* D. BURKART *auxerunt. Ter tendo Achillis ſponte ruptus ſua eſt absque dolore. (J. Van den* HAAR *Verhandel. der Hollandz. Maatſch. Tom. V.) Nervus ſi fuiſſet, doluiſſet omnino, nam*

dum præſcinditur nervus, incredibilis eſt tortura, etſi paulo poſt diſſecto nervo dolor quieſcit. Abſciſſus non dolet, ſed dolet dum abſcinditur. Tendo & dum rumpitur, ne quidem ſenſum excitat.

In latum me ducis, Vir Ill. campum, per quem una parumper, quæſo Te, ſpatiemur. Notato errore leviuſculo de tendine ter rupto, qui tamen bis ruptus duntaxat, ut & poſtea forte agnoſcere videris; cerno armatum te & circumcinctum teſtium numeroſorum turba, qui tendinum negent ſenſibilitatem. Ita ſaltem gloriaris. Ego autem id non ita video. Adſunt inter illos, ni fallor, qui moderantur naturæ vocem, ſed non, ut Tu, ſuffocant, nam MODICUM adfuiſſe dolorem fateri coguntur. Nonne & Tu MODICUM interjectum ab illis deprehendiſti? Sed præterea; ſuſtine paululum meam,

HAL-

HALLERE, importunitatem; cur laudando caſum ex ACT. HARLEM. minus fuiſti ingenuus, quam ut id, quod de egregio MONROO, Patre, ibidem adjungitur, enarres? Bonæne fidei eſt citare omnes veluti tendinum ſenſibilitatem tecum negantes, dum 1. unus illorum non validum, ait, GEEN MERKELYKE, dolorem adfuiſſe; dum 2. optimus MONRO ſedecim caſus referens, diſerte affirmet quosdam eorum teſtatos eſſe, quando tendo Achillis ſibi rumpebatur, ſibi viſum fuiſſe ac ſi doloroſus ictus ceu lapidis, baculive, ad ipſum rupturæ locum adplicaretur. Neſcio quo animo duceris. Quid, quæſo, Te juvat innumeros teſtes laudaſſe, veluti tecum ſentientes, & deinde ignominioſe confundi, dum qui rem ipſo in fonte examinandi facultate gaudent, eos minime Tecum ſentire probent?

Miſerum, HALLERE, ſyſtema tuum, quod non niſi ejusmodi fulcimentis ſuſtineatur!

Sed demus pauliſper, quos laudas, Tecum omnes ſentire; quid inde? Nihil profecto. Tot teſtes in contrariam ſententiam attuli pag. 40. 118. quot Tu pro Tua. Nec ſuſpicionem nobis facias ac ſi minus vera illi dixiſſent: quod enim alteri facis, fiet Tibi. Si ergo credas probitatem, & honeſtatem, etiam tuis ab Adverſariis coli, omne, quod hic potes affirmare, unicum hoc eſt, quod, quemadmodum Tu, cum Tuis, inſenſibilitatem tendinis, ita Adverſarii tui ejusdem ſenſibilitatem experimentis non vagis, ſed de induſtria captis, demonſtrarint. Si nunc hos omnes cum omnium ſæculorum tum autoritate, tum experientia junctos videas, cave ne quid effutias inconſideranter. Tua

Ti-

Tibi pauliſper dabimus, modo noſtra nobis concedas. Stat ergo hucusque quæſtio medios inter belligerantes. Aſt ultra progrediendum eſt.

Tendo, ais, dum rumpitur, ne quidem ſenſum excitat. Et paulo ſupra: Nervus ſi fuiſſet, doluiſſet omnino. Numne nervos tendo non habet? An eorum ſaltem ratione dolere non debet? Nequaquam ais. Non tamen omnes, & Te quidem in arte majores, ſic ſentiunt. WINSLOW, heu quantillus Tu, cum ipſo comparatus! varios nervos demonſtravit toties ad Tendinem Achillis pergentes. Et de induſtria rem inquirens Clariſs. VANDELLI, deſcripſit delineavitque nervos & extrinſecus, & per vaginam, & per mediam tendinis Achillis ſubſtantiam permeantes. Non negaſti ipſi hos nervos dari, exprobras modo & copioſiores & grandiores de-

pingi. Reſpondit VANDELLI in eo cadavere, e quo depinxerat, copioſiores fuiſſe, eosdem vero paulo majores, quo accuratius conſpicerentur, ſe depinxiſſe. Igitur ipſum factum Anatomicum VANDELLIO non negaſti. Cur autem mihi idem neges, ac ſi nunquam ab Adverſariis tuis tibi fuiſſet demonſtratum? Quid Tibi prodeſt veritate convinci, eandemque poſtliminio præfracte negare? Et ſi ſperaveras VANDELLIANA me ignorare, cur ſaltem mihi ad WINSLOWI autoritatem, quam, ſi Tibi favet, tanti facis, nihil regeris? Nihili Tibi facienda viri tanti autopſia?

At vero demus Tibi etiam Tendines nervis carere; nihil inde lucraberis. Cur toties a Viris fide dignis ante noſtram ætatem, cur toties ab Adverſariis tuis de induſtria experimentum capientibus, tendo inventus

eſt

eſt doluiſſe? Cave ne neges, aut tua Tibi negabimus. A nervo id credis juxta vaginam, & forte in vagina reperto. Ita ſaltem fateris. Igiturne tendines animalium Tuorum perſcidiſti vagina illæſa? Etiamne omnium hominum Tuorum tendines vagina illæſa rupti ſunt? Nullo ſane modo: vagina rupta ſimul, una perſciſſa eſt. Dumque experimenta Tua tendinem roderent, ſcalperent, acrioribus irritarent, numne in mediam tendinis ſubſtantiam agebant illæſa vagina, an in vaginam etiam?

Si ergo nervi & per vaginam, & multi ſaltem ſecus vaginam decurrunt, qui demum explices nobis Nervos hos ſenſibiles lacerari, ſemi abrumpi, abrumpi integre, eosdemque irritari, ac convelli adplicatis acribus, unguibus, ſcalpello, & tamen hominem nihil dolere omnino? Videsne ipſa experi-

menta tua nervorum clamitare indolentiam? Quidquid enim effugii quæris; dum tendo rumpitur, rumpuntur aliqui nervi ſimul: dum tendinem vellicas, irritas, rodis, ſane una vellicas, irritas, rodis nervos plurimos ſupra vaginam, perque eandem diſperſos, etiamſi omnes tecum ſtatueremus Tendinis ſubſtantiam carere nervis.

Si nunc reſumo mihi omnia, quæ Tibi pauliſper conceſſeram, nempe animalia in experimentis BOHEMICIS & ITALICIS, multoſque ubique homines, læſo, ruptoque tendine doluiſſe; deinde nervos & in tendine, & prope tendinem, demonſtratos multos eſſe, video ſane ruere totum ſyſtema tuum, primo propria tua ſententia de cunctorum nervorum ſenſibilitate; ſecundo propria tua aliorumque experientia

tia de laceratis fractisque nervis citra ullum dolorem.

Hinc ad ea, quæ ſubjungis, facilis reſponſio: *Vide etiam ad ea,* ais, *quæ paulo poſt dicis (pag. 19.) quam facile ſanati fuerint illi ægri* Johannes van den Haar, *quibus tendo Achillis etiam repetito fuerat abruptus. Homines erant, non canes.*

Quod intra aliquot ſeptimanarum ſpatium illi curati fuerint video; ſed quid inde? an ideo tendo Achillis inſenſilis? Tunc & nervi ſimul, & cutis, & muſculi, acinace diviſi, etiam inſenſilitatem ſuam curatione frequenti & ſæpe faciliore, quam ea rupti tendinis eſt, demonſtrant. Sed operæ precium attendere, quod hæc tua verba adplices ad ea quæ pag. 19. dixeram: „ Haller exp. 22. 23. in „ Incompleta tendinis ruptura de„ prehendit in animalibus nihil mo-

 „ tus,

„ tus, nihil periiſſe agilitatis; ita ut
„ currerent, ſaltarent, poſticis cru-
„ ribus incederent, eadem, qua eo-
„ dem integro, alacritate. Idque
„ tam in utriusque cruris ſemiabſciſ-
„ ſo tendine, quam in alterutro. E
„ contrario, & PARÆUS multiplici ex-
„ perimento, & PETITUS, magno
„ cum dolore, ſummaque cum diffi-
„ cultate, motum peragi viderant,
„ ubi unius modo pedis eſſet facta in-
„ completa tendinis ruptura. Quam
„ imprudenter ergo ab experimentis
„ in brutis captis ad hominem conclu-
„ dimus! „ Putasne Te, Vir Eximie,
ſic ad meam difficultatem reſpondiſſe,
dicendo: „ Vide etiam ad ea, quæ
„ paulo poſt dicis pag. 19. quam fa-
„ cile ſanati fuerint illi ægri J. VAN
„ DER HAAR, quibus tendo Achillis,
„ etiam repetito fuerat abruptus. Ho-
„ mines erant, non Canes. „ Non

ca-

capio, quid hoc reſponſo intendas. A tua parte canes ſaltabant, currebant, etiam poſticis cruribus, tendine læſo; homines in hiſtoria quam mihi ex ACT. HARL. opponis, habuere a principio ipſo majorem minoremve movendi ſe difficultatem. Quid ergo vis cum hac tua comparatione? Si canes tui habuiſſent movendi difficultatem, argumentum tibi non oppoſuiſſem. Sed ſi canes tui nihil, homines multum in motu difficultatis habuere, quæ demum intentio argumenti tui?

Tandem ais: *Exemplum tendinis in dolore læſi nullum profers*, HAENI, *nullum inquam.* Ergo non protuleram experimenta RADNICZKYANA? non PARÆI? non PETITI? non SCHLIGTINGII? Relege mea, ſi placet. Multa protuli, HALLERE, multa inquam.

An-

Antequam hanc materiam miſerrime defenſam deſeris, experiri vis adhuc unicum argumentum. *Sed*, ais, *poſſunt partes ſenſiles per morbum inſenſiles reddi* (*pag.* 26. 27.) *Hæc quid ad nos. Eratne morbus in canibus, quorum tendines diſcidi, in hominibus, quorum exempla excitavi.* Videri oportet, quid ego indicatis a te paginis 26. & 27. dixerim, ut reſponſi tui exactitudo pateſcat. Multus fueram in exemplis allegandis nervorum læſorum in integumentis, & muſculis abdominis, in ipſo abdomine, in artubus externis, in cerebro, quorum hominum quatuor, cum articulorum, nervorum, cerebrique inſenſilitate, integrum habuerant earundem partium uſum; adeoque hasce partes morboſas non fuiſſe: erant præterea caſus nonnulli morboſi. Pro conſueta aſtutia inde ſeligis morboſos caſus, ut oſtenderes

ner-

nervos morbo inſenſiles redditos, nullum contra te argumentum facere: caſus vero ubi hoc effugium non habes, tacendo præteris; quo ſaltem qui non mea, ſed tua legunt, me a te victum credant. Sed hem tu Hallere! Quid ad caſus non morboſos, in quibus nervi & cerebri functio integra manſit, abſente ſenſibilitate? Sed præterea in caſu morboſo Colicæ pictonum, quem potiſſimum hic velle videris, colica hæc, licet ſæviſſima, non reddit nervos inſenſiles, ſed immani dolore & anxietate perpetuo afficit. Porro in caſu a me dato, in quo nervi acutiſſimum ſenſum habere ſolent, quæ cauſa demum inſenſibilitatis? Nec morbi impetu ſedato nervi iidem inſenſiles fuere. Ergo perſtat concluſionis meæ vis, quod de partium inſenſibilitate nonnunquam percepta, perennis & univerſalis inſenſilitas adſtrui

ne-

nequeat. Sed de hac re poſtea latius.

De Cerebro acturus ais : *Cerebrum objicis pag. 26. 27. absque ſenſu læſum, aliasque partes, quas nominas. De iſtis pro me dicis : nempe ligamenta ſequitur inſenſibilia eſſe. De illo oſtendimus, per ſingula, quo usque cerebrum absque dolore lædi poſſit, & ubi læſum convulſiones faciat. Sed tu Vir Ill. noluiſti expectare, quoad eo loco, quo demum proferri decuit, mentem meam protuliſſem. Elem. Phyſiol. T. IV. L. X. Sect. VII.*

An ergo, quæ de Cerebro toties jam dixeras, Vir Ill. non bene aut veritatem, aut ſaltem mentem tuam, exprimebant ? Cur ergo edidiſti ? Si mentem tuam bene ſignificabant, cur contra ſcribere mihi non licuit, vitioſa credenti ? Monuiſſe oporteret, ut nemo tuis de cerebro fidem adhiberet, niſi prius vidiſſet Tomum IV. tuum.

tuum. Et potuiſſes nunquam dediſſe. Igitur cum bona venia tua refello id, quod jam edideris, non vero id, quod adhuc in Cerebro tuo, chartisve lateat.

Cerebrum igitur objeci, ais, absque ſenſu læſum. Non objeci modo, ſed exemplis demonſtravi, idque læſo eo ſatis profunde. Neſcio, quantæ molis fuerit cultellus, cujus mediam partem Meretricula apud Z. Lusitanum inculpate, integro octennio, intra ipſum Cerebrum geſſerit. Fuerit minor; medius cultellus ſemper profunde penetravit. Cogita etiam Cl. Zimmermanni oppoſita experimenta de Cerebro eſſe. Expectabimus igitur Tomum IV.

Sed addis me etiam alias partes inſenſibiles objicere, & has pro te facere; demonſtrare quippe ligamenta inſenſibilia eſſe: meque refers ad paginam meam 29., ubi lotricis hiſtoria

ar-

arguo ſæpe male de inſenſibilitate aliquid ſtatui. Sed argutiam tuam non prævidens, hiſtoriam integram non dederam, quæ tota data plus contra te facit, quam ego dederam. „ Uxor
„ DAVIDIS FRANCISCI, Cereviſiarum
„ Bajuli, anno 1654. lavando acum
„ in carpi articulum impegit, altera
„ ejus extremitate vix eminente, ad
„ cujus extractionem, fruſtra tenta-
„ tam, magna ſuboriebatur inflam-
„ matio & tumor, qui ex præſcripto
„ Magiſtri mei, CORNELII VAN DER
„ GRACHT, Diapalma diſſoluto diſpa-
„ ruit; acum naturæ committendo,
„ quæ mirum dictu poſt ſeptem an-
„ norum intervallum, eadem facilita-
„ te, lintea conſtringendo, excutitur,
„ qua impacta erat, NULLO DOLORE
„ VEL INCOMMODO TOTO ILLO TEM-
„ PORE PRODUCTO, VEL RELICTO. „
Igitur multa hic inſenſibilia per ſeptem

an-

annos, articulus, ligamenta, nervi ſupra decurrentes, vel inter tendines, tendinumque vaginas, & cutis ipſa. Et in anguſto adeo articulo, ubi çavum ſpatium non eſt, acus ſeptennio hæſit citra ullum incommodum, citra motus impedimentum. Videas nunc utrum Hiſtoria tibi, an mihi faveat?

Serio nunc incipis me alloqui. *Tendinèas fibras valvularum, pag. 35. cordis augere robur, dixi, Tuque vis me mihi contradicere ipſi. Relege quæſo, & fatere, Te mihi facere injuriam. Gratulabor ſi fateberis; dolebo tuo nomine, ſi detrectas. Tendines valvularum fortiſſimi ſunt, & ii tendines inter duas membranas valvularum ſubeunt, robuſtiſſimisque filis debilem alioqui membranam augent. Nihil hoc ad ſenſibilitatem: auxiſſent, ſi ex corio mortuo, exve cartilagine facti, valvulis potuiſſent innaſci. Addunt craſſitiei, addunt reſiſtentiæ, qua*

valvulæ ruptioni renituntur. Idemne eſt robur ac ſenſus?

Convincis magis magisque nos, Vir Celeberrime, in bello, quod Tibi excitaſti, obliviſci Te armorum, quibus tum ipſe uſus fueris, tum quibus Adverſarii tui: Teque eosdem cæco plane impetu aggredi ſolere. Quæſtio noſtra hæcce eſt: Oſtenderam Tibi ex propriis verbis Tuis, quod ubi Tendinibus omnem denegaſſes irritabilitatem, ſenſibilitatemque, & motum, nihilominus egens hisce qualitatibus in tendinoſarum cordis valvularum expoſitione, easdem hisce redderes; unde totum tuum ſyſtema plane arbitrarium eſſe concludebam. Hoc probaturus, propria verba Tua ELEM. PHYS. TOM. I. PAG. 414. afferebam: „ A fibris vero „ tendineis robur valvularum augetur, ut eo facilius impetum retro-

„ ni-

„ nitentis undæ ſuſtineant, ETSI VIM
„ CONTRACTILEM ET IRRITABILEM
„ NATURA TENDINEA NON OPTIME
„ ADMITTIT. Hæc dicis TOM. I. ELEM. PHYSIOLOGIÆ illius, quam futuram æternam ſperaveras, tam clare ut negare nequeas: jam vero in Apologia hac negas omnino. Nae ipſus æternum opus reddis mortale.

Negare, HALLERE præſtantiſſime, fas erat; at vero negando ſimul oportebat fateri te erraſſe, dum in ELEM. PHYS. ſic ſcripſiſſes. Hoc mirati nunquam fuiſſemus, in Viro, ſua qui toties mutet. Jam vero ita negare, ut potius me mendacii ſugilles, quam ut proprium errorem fatearis, qui tamen luce clarior laudato in opere extet, genium minime laudabilem, honeſtisque viris minime ſociabilem oſtendit. Quid in ELEM. PHYSIOL. hæc verba: ETSI VIM CONTRACTILEM

ET IRRITABILEM NATURA TENDINEA NON OPTIME ADMITTIT, adjeciſti, ſi mortuum corium, ſi ipſa cartilago, inter ambas valvularum membranas idem feciſſet? Sed valvularum actionem & naturam illud ETSI VIM CONTRACTILEM &c. demonſtrat Te tunc non potuiſſe explicare, niſi contra principia Tua hanc vim, tendinibus neceſſario negandam, valvulis cordis pro hac vice concederes. His ita viſis æquo Lectori judicandum relinquo, num injurioſa illa adhortatio, „ Re-„ lege quæſo, & fatere, Te mihi „ facere injuriam. Gratulabor ſi fa-„ teberis, dolebo tuo nomine, ſi de-„ trectas „ mihi conveniat, an Tibi? Omnes denique triſtes experimur candorem illum, quem ad nauſeam usque in cunctis repetis opellis, plus Tibi in ore, quam in corde eſſe.

Ser-

Sermonem jam convertis ad Pleuram. *In pleura*, inquis, *ego potius cum* Præceptore *ſentio. Tu diſcedis. In muſculis intercoſtalibus vir magnus ſedem doloris poſuit: ii enim inter inſpirandum contrahuntur. Tu ais in pleura eſſe. Qui bis mille cadavera ſecuit, & ultra* Johannes Lieutaud, *ait adeo rarum malum eſſe pleuritidem, ut bis vel ter omnino viderit. In iis duobus caſibus quidni pus, quidni quæcumque irritatio, inflammationis cauſa, nervos grandes pleuræ impoſitos potuit ſollicitare, quorum ego adprime memini.*

Hic per partes te volo. Primo jactas te cum Boerhaavio potius ſentire, veluti qui ſedem pleuritidis in muſculis intercoſtalibus, qui inter inſpirandum contrahantur, poſuiſſet; me ut a Præceptore diſcedentem accuſas, quod in pleura morbum collocem. Adeone licuit contra publi-

ca teſtimonia veritati contradicere? Primum vide BOERHAAVE Aph. 877. „ Nulla eſt pars integumentorum in- „ terni thoracis, quam non aggre- „ ditur: TOTA ERGO PLEURA, to- „ tumque Mediaſtinum: hinc ante- „ rior, poſterior, dextra, ſiniſtra, „ ſuperior, inferior, exterior, pro- „ fundior pars, æque obſidetur hoc „ malo: ſed inprimis latera. Ubi „ autem ipſa membrana COSTAS IN- „ TERNE SUCCINGENS doloris ſedes, „ aut pars illa muſculorum interco- „ ſtalium internorum, VERA, ſi au- „ tem altius intercoſtales muſculi, ex- „ terni inprimis, vel & his ſuperiora „ laborant, SPURIA appellatur. „ Edit. Leyd. 1737. anno ante mortem ejus. Tu igitur, Vir Cl. præfracte negans doloris in pleura ſedem, ſentisne adhuc cum Præceptore?

Ve-

Verum an ego a Præceptore diſceſſi? Diss. meæ pag. 42. pleuram ut præcipuam ſedem conſideravi; & pag. 46. cum Willisio, Riolano, & Diemerbroeckio, in pleura illam locavi Pleuritidem, quæ exquiſita, ſimplexque, vocetur. Addidi anatomicum meum experimentum. Idne vocas a Præceptore diſcedere? An unquam apertius & imprudentius contradixiſti veritati? Metuo, Hallere, ne Eruditi omnino falſum credant, quod tam audacter in Præf. El. Phys. pag. xi. & xij. aſſeris: „ Quotquot „ enim majoris momenti erant teſti„ monia, quibus conſtitutis aliquod „ theorema niteretur, & everſis ca„ deret, ea, dum opus meum emen„ do, cum libris ipſis contuli, & „ confirmavi. „ Sane in hac Apologia doces, quid de allegatis autorum teſtimoniis in Operibus tuis co-

gitandum ſit. Coactos ſe videbunt eruditi, ut, tuà legentes, ni decipi velint, totam Bibliothecam medicam percurrant, illa cum laudatis collaturi autoribus. Quo in opere duplicem illis moleſtiam creas: primo perverſe citando librum, caput, paginam, ubi textus inveniendus ſit; quo vitio negociorum multitudine te laborare, ſponte fateris in ELEM. PHYS. PRÆFATIONE: Secundo, ut ubi per horas quærendo textum demum invenerint, contrariam omnino ſententiam mirabundi legant, indeque ſuſpicentur, ne ideo forte textus perverſe indicentur, ut inventi fraudem non detegant.

Nihil ergo, ne umbra quidem veritatis, ineſt iis, quæ de te, atque me, reſpectu BOERHAAVII protuliſti; ſed æque parum his, quæ ad theſin falſam probandam affers. „ Qui bis

„ mil-

„ mille cadavera ſecuit & ultra J. „ Lieutaud, ait adeo rarum malum „ eſſe Pleuritidem, ut bis vel ter om- „ nino viderit. „ Bis mille cadavera, & ultra, incidere, omnino multum eſt, ſed ad rem nihil, niſi pleuritidis examinandæ cauſa fuerint inciſa. Et potuiſſet ſex mille incidere, ne una quidem inventa pleuritide. Arguit ſaltem totum hoc argumentum te parum admodum verſatum in Clinicis eſſe. Antequam Pleuritidis concluderes raritatem, cur, obſervatis propriis deſtitutus, non conſuluiſti Hippocratem? Galenum? Univerſoſque deinceps Medicos autores? Inveniſſes eſſe frequentiſſimum morbum. Cur non rogaſti a communi amico noſtro Tyssot, Patriæ tuæ morbos adeo accurate deſcribente? Reſpondiſſet tibi, Avis au peuple sur la santé, pag. 123. „ Cette

 „ ma-

„ maladie eſt une des PLUS FREQUEN-
„ TES, & des plus meurtrieres, tant
„ par elle même, que dans nos cam-
„ pagnes par le mauvais traitement. „
Cur PETRUM SERVIUM non conſuluiſti? Reſpondiſſet tibi TRECENTOS PLEURITICOS ſe poſt mortem incidiſſe: nec ignoraſſe te dicas hunc autorem, quem nobis inter Practicos commendaſti TOM. 2. PAG. 885. METH. STUD. B. Cur non cæteros, quos in loco, quem impugnas, laudavi Autores? Ergo quod ex LIEUTAUD concludis, falſum eſt. Et quod demum de cauſis impoſitos Pleuræ grandes nervos afficientibus profers, ita quidem habere ſe poteſt, verum id neque morbi raritatem, nec, quam ſolam ipſi aſſignas, ſedem, demonſtrat.

Subjungis: *Experimenti quidem profers nihil.* Pulcre ſic! Nam non niſi

ex-

experimenta obtuli tibi, tum aliena, tum mea; convincentiora profecto quam tua Brutorum. Deinde nunquam videris attendere velle ad id, quod toties monueram, me ſemper demonſtrata aliorum experimenta, veluti enarrata ſupponere. Videas ergo apud Radniczky ſeptem luculenta experimenta Pleuræ ſenſibilitatem manifeſto demonſtrantia.

Et neque de Peritonæo. Et quidem etiam de Peritonæo. Si non ſufficiant, vide tria experimenta in Sect. 4. Exp. Radniczky.

Neque de ligamentis, quæ tota ante me antiquitas dixit ſenſu carere. Et ego podagram patior. Memini me experiundi cauſa, cum ſæviſſime dolerem, nixum edidiſſe, ut pollicem inflammatum extenderem. Non doluit in nixu, ſed tum demum, cum elevatus nunc cutem impelleret, a capſula articulationis remotus.

Nul-

Nullane ego, Vir Cl. de ligamentis experimenta protuli? Triſte eſt, toties dicta repetere debere. WINSLOW & PARÆUS demonſtrarunt nervos ligamentorum. Quia nunc ais omnem ſentire nervum, ergo & ligamenta ſentiunt. Sed deinde experientia PARÆI capta in hominibus, binisque anatomicis exemplis, idem confirmavi. Hoccine igitur vocas non afferre experimenti quidquam?

Sed, ais, totam ante te antiquitatem ligamenta inſenſibilia pronuntiaſſe. Rogo primo quid tibi cum antiquitate, quam ignorantiæ, quam erroris, quam ſocordiæ, accuſas ubique, dum experimenta propria venditas? Deinde an FERNELIUS, RONDELETIUS, FORESTUS, PARÆUS, COURTIAL, CLOPTON HAVERS, BOERHAAVE, VAN ZWIETEN, non ſcripſere ante te? Tamen omnes hi

li-

ligamenta ſenſibiliſſima & dixerunt, & invenerunt. Vid. Comm. Ill. v. Zwieten Tom. I. Pag. 605. Novi equidem plures Antiquorum, aut ſaltem te anteriorum eadem inſenſibilia credidiſſe; ſed inſenſibilitas in ligamentis obſervata aliquoties, ut & in tendinibus, in nervis, in muſculis, in cute, ut te, ita hos, decepit.

Sed quid manifeſtiorem tuum errorem prodit, quam propria Podagra tua? Podagra, inquam, tua, ita ſingularis, ut inflammatum pollicem sævissime dolentem, ſine dolore extenderes? Vides, Vir Ill. quam differat idem morbus in te, & in me! ſed alia contemplemur. Vidiſtine unquam Arthriticum non dolentem? Et quidem cum arthritide annoſa & nodoſa, ita ut Ancyloſis in variis digitorum articulis inde naſcatur? Vidi talem, cætera ſanum, & belli ducis

mu-

munere nunc fungentem. Huic porro non modo inſenſiles articuli, ſed & omnes ſuperpoſiti nervi, & cutis. Conſulendo me, metu ne totus obrigeſceret, ſancte ipſe mihi teſtatus eſt, quique illi a ſecretis eſt, confirmavit, affectas nunquam doluiſſe partes. Tantæ differentiæ in morbis ſæpe animadvertuntur, ſed regulam praxis non condunt. Ut notaſti egregium LA MOTTE ligamentum tibiæ extenſorem inſenſile inveniſſe; ſic e contrario videre potes idem valde dolens apud ILL. VAN ZWIETEN COMM. TOM. I. PAG. 952. Sed quod magis paradoxon, vidiſtine unquam hominem cætera ſenſibilem, ſibique mente admodum præſentem, ſub Lithotomia, crudeli utique operatione, non, aut vix dolentem? Contigit tamen 15. Dec. 1760. in noſtro Noſocomio coram plusquam 20. teſtibus. Vidiſti-

ſtine cum ingenti calculo veſicam indolentem multos per annos, quæ tamen plurimis annis antea enormes ab eodem pateretur cruciatus? Potuiſti iteratis experimentis intelligere ex variis locis RAT. MED. maxime ex T. V. Laudavi antea exempla acus leviſſime extra cutim indolenter eminentis per ſeptennium, vitri fragmentorum ſine dolore fere per digitos ſecus tendines, nervos, cutim, reptantium. Verbo dixerim ab omni ævo potuit, & per omne ævum poterit obſervari, quam inſigniter tum bruta, tum homines in perferendis doloribus differant: quamque in regulas prudentiæ & in bonum judicium offendant, quicumque ex ſenſilitate aut inſenſilitate aliquoties deprehenſa, regulas ſenſibilitatis, aut inſenſibilitatis formare tentent.

Ita, inquies Vir Cl., res ſæpe ſe habet, nec aufertur inde incertitudo;

at vero dum experimenta mea numeroſiſſima, dedita opera in denudatis animalium partibus inſtituta, & mihi, & multis mecum, ſemper idem clamitent, regulas certas ſenſibilitatis, inſenſibilitatisque formare poſſum.

Plauſibiliter argumentaris quidem, ſed qui contrariam omnino ſententiam ſequuntur, eodem argumento propter ſua & numeroſa, & de induſtria facta experimenta, ſemper idem clamantia, utuntur.

Non bene capta Adverſariorum experimenta arguis, ſed ii de tuis idem affirmabunt.

Imo rem urgere poſſunt: Si enim attento animo conſideres HALLERE, qua cautela ITALORUM multa experimenta inſtituta ſint; quantam cautelam & ſcrupuloſam fere prudentiam doctiſſimus RADNICZKY in experimentis ſuis, coram multis teſtibus, ſæ-

pe

pe etiam Cl. Profeſſoribus, edendis adhibuerit; ſi deinde reſpicias ad incertitudinem multorum tuorum, qua annuere & negare, prout lubet, poſſis; facile capis Adverſarios tuos argumentum, antea æquis utrinque viribus prolatum, vehementer urgere & roborare poſſe.

Interim acerrime & indecenter in me inveheris, quod de neglectu te accuſaverim. *De ancyloſi*, ais, *criminaris a vulnere articulorum nata. Neglexi in canibus inquirere. Inflammationem, dolorem, gangrænam, ulcera, pericula, ex his articulationum vulneribus ſequi, nuperæ ſcholæ docent, & tu repetis, noſtra experimenta ajunt non ſequi. Num vitioſa ſubſequatur celluloſa tela, quæ ad cutem oſſa firmet, non curioſus, non quæſivi. Nihil id ad te & ad me.* Auſus es denique ſubjungere: *Etiam hic imploro æquitatem tuam. Relege quæ*

ſcripſi, & vide quam parum æquus fueris, & dole, ſi teipſum amas.

Dira exprobratio! Num eam merui, judicabunt æqui Lectores. Cum pro more invertis, & confundis ſtatum quæſtionis, eum verum enarrabo. Scripſeras hæc, ut concluſionem, ad tua Exp. a 38. ad 57. „ Hac „ occaſione notare debeo, omnes capras, canes, feles, quibus capſulam articulationis genu incidi, aut peruſſi, miranda ſane felicitate curatas fuiſſe, novamque creaturam celluloſam membranas cum oſſe deinum coagmentaſſe. Hæc utique experientia mereretur confirmari, ſed alio intuitu: mihi copia non fuit diſcendi utrum hæc animalia citra Ancyloſin curata fuerint, aut an inde aliquid concludi hominis in emolumentum poſſet: in quo Articulorum vulnera vulgo ſolent

„ pe-

„ periculoſa, ac curatu difficilia ha-
„ beri. „ Subjunxi ego pag. 56.
„ Hic rogare poſſem a Cl. Viro, cur
„ curas admirandæ felicitatis adeo
„ jactitet, ſi neſciat, an ullum ani-
„ mal citra Ancyloſin curatum fue-
„ rit? „ Injuriane, an ſummo ju-
re, concluſi ſtupendæ curæ præpro-
peram jactantiam atque intempeſti-
vam eſſe, cum Ancyloſis ex vulnere
orta, quæ totum Articuli uſum peſ-
ſumdet, ſtupēnda dici curatio læſæ
capſulæ non debeat?

Miror etiam te dicentem. „ Ni-
„ hil id ad te, & ad me. „ Imo
potius & ad te, & ad me. Ad te
quod neglexeris id, quod maxime &
pulcrum, & homini utile, in experi-
mento examinare. Potueras, ac de-
bueras, Bruta illa ſervare apud te, do-
nec curæ finem vidiſſes, cujus id,
quod indagare neglexiſti, præcipuum

ornamentum eſſet. Pertinebat AD ME, integramque familiam Apollineæ gentis, autoritate nullius, ne HALLERI quidem, curam mirandam agnoſcere, de cujus præcipuo effectu dubitaretur.

Et auſus fuiſti, poſt hæc omnia ignominioſam hanc exprobrationem in me proferre! ſed nunc, non ſane prima vice, technas & artificia detego tua. Jam pluries advertere potuere Lectores hujus Apologiæ tuæ, aliorumque operum tuorum, ibidem acerrimam te mereri correptionem, ubi maxime indignabundus inveheris in Adverſarios: ut hi fulminante autoritate perterriti ſe reos crederent, teque deſinerent impetere. Falleris autem ſi me talem habeas.

Sed quam ingratos HALLERE, quam moleſtos mihi creas labores! Cogis me ut totam hanc tuam Brutorum hiſto-

ſtoriam . . . . . . , ſaltem ſuſpectam eſſe, demonſtrem. Hoc ad te, & non ad me. Igitur ſic ſe res habet. Ea ipſa fide, qua, Vir Cl., articulorum vulnera impune infligi poſſe demonſtraveras, etiam nobis aſſeris, Exp. pag. 149. „ novam celluloſitatem ipſis cutem cum oſſibus coagmentaſſe. „ At vero in hac tua Apol. pag. 20. dicis: „ Num vitioſa ſubſequatur celluloſa tela, quæ ad cutem oſſa firmet, non curioſus, non quæſivi. „ Quid demum vis cogitemus de tuis fere ſexcentis experimentis, quæ tanquam veriſſima univerſæ Europæ obtruſiſti, dum hic proprio ore fateris ejus experimenti partis nec curioſum fuiſſe te, nec quæſiviſſe ? Horret mihi animus, dum de his ipſis experimentis ſexcentis, de quorum veritate nos dubitare in Apologia hacce jubes, hac

arrogantia dicentem te audio in præfatione EXP. „ Et j'avouerai, qu'il „ me paroit bien cruel de me refuſer „ creance dans les faits, a moi qui „ en ai tant vu &c. Et hiscene experimentis inædificata eſt, quam æternam volueris, Phyſiologia!

Sed verbulo adhuc de NUPERIS SCHOLIS. „ Has ais id docere, „ quod ex Articulationum vulnere in„ flammatio, dolor, gangræna, ul„ cera, pericula naſcantur; quæ ego „ repetam, quæque experimenta tua „ dicant non ſequi. „ Quam demum vocas, CL. VIR, NUPERAM SCHOLAM? HOFMANNIANAM crediderim, ac BOERHAAVIANAM, & STAHLIANAM; hæc enim, te incipiente docere, vigebant. Dabo igitur tibi totum hoc decimum octavum ſæculum. Ergone nullæ ſcholæ antiquiores hanc ipſam ſententiam tuebantur? Quo igitur

tur tempore floruerunt, quos vera Artis ſydera veneramur? Forestos ajo, Rondeletios, Fernelios, Goræos, Ballonios, Foesios, Paræos? Alterum ſæculum abhinc nonnulli, plures tertium numerant. Ne allatis illorum textibus longus ſim, dignentur Lectores illos conſulere duntaxat ubi de morbis Articulorum, potiſſimumque de Arthritide, ſcripſere. Reperturi ſunt omnes hos magnos viros uno faſſos ore fuiſſe Articulorum capſas & ligamenta valde ſenſibilia eſſe, eandemque ob cauſam atrocium dolorum, inflammationumque ſedem. Quid quod etiam antiquiſſima ſæcula hanc illorum ſenſibilitatem agnoverint? Et Galenus id jam, ut omnibus cognitum, habet in comm. Aphor. Hipp. qui de Podagra, morbisque articulorum agunt; & ſi quis unquam manifeſto, Aretæus Cappadox,

cap. DE PODAG. LIB. 2. DE SIGN. ET CAUS. CHRON. Hæc omnia noſti, & legiſti, HALLERE INCLYTE, dum BOERHAAVII ſpurium tractatum de Methodo ſtudendi commentatus, catalogum & epitomen horum autorum dabas nobis. Quo igitur animo hæc ſciens & volens nobis occultare decreviſti, & nuperarum ſcholarum modo ſententiam eſſe propria autoritate aſſeveras?

Scilicet juvabat occultare textus autorum, qui ſi noſcerentur, docerent paradoxa tua ridicula eſſe. Patefeciſſent myſterium. Vidiſſemus veteres ambiguiſſe aliquando an tendines, & membranæ, & articulorum ligamenta, ſentirent, nec ne: cum alio tempore inſenſilitatem, alio iterum ſummam docerent ſenſilitatem. H nc varios in varias abiiſſe ſententias. Nonnullos veram diverſi adeo phæno-

nomæni cauſam ſoli Jovi eſſe notam ſtatuiſſe; alios inter ligamenta diſtinxiſſe, eaque eſſe inſenſibilia, quæ ex cavo oſſe; illa vero ſenſibilia, quæ a Perioſteo orirentur; quæ quidem Fernelii, Rondeletii, ac Ballonii, communis ſententia fuerit: alios antiquiſſimos advertiſſe *νεῦρα, τὰ*
„ *δεσμα τῶν ἄρθρων*, non dolere ſæpe
„ dum quis ea abſcindat, conterat-
„ ve, *ἐδ᾽ ἂν τέμνῃ τἶς, ἢ θλίβῃ*, &
„ interea alio tempore hominem ſic
„ ab illis dolere, ut a nulla re ma-
„ gis, imo ut non ferramenta ad-
„ ſtringentia, non vincula, non vul-
„ nerans gladius, non exurens ignis,
„ plus crearent doloris. „ Denique alios iterum cadavera aperuiſſe, & creta podagrica ad has partes inventa id concluſiſſe, ac docuiſſe, quod ut ut inſenſibilia hæc pluries viſa forent, tamen

 men

men ut plurimum ſenſibiliſſima eſſe apparuiſſent.

Hæc omnia, HALLERE, noſti, ſuppreſſiſti; noluiſti, ut intelligeremus quæſtionem modernam nihil habere novi; eſſe Arti coævam; perpetuo ambigua quædam experimenta fuiſſe; ipſam vero conſtantem experientiam Ligamentorum, Capſularum, Tendonum, & ſenſibilitatem magnam, & terribilia ſymptomata adnotaſſe. Non ultra urgebo. Silebo.

De perioſteo contra te extat in homine Cl. Chirurgi experimentum (*Joſephi Veſpa, Quatrieme Lettre de Toſetti, Exp. 6. 7.*). Nihilne aliter novi, quod ad tot a me allata experimenta apponas, quam unicum teſtimonium Rev. Patris TOSETTI, quem virum & bonum, & reverendum, attamen tamquam idoneum in hiſce teſtem VANDELLIUS tibi negaverat, idque ni fal-

ſallor tui ipſius exemplo ? Nolueras enim niſi Anatomicos, eosque egregios, tibi opponi. Hambergerus ergo non immerito id vitii in te taxaſſe videtur, ut quantumvis difficilis ipſe in teſtibus admittendis, nihilominus ſi non modo Eccleſiaſtici, ſed etiam Lippi & Tonſores grata tibi narrent, eos ſoleas magnorum virorum in catalogo recenſere.

Sed ſit ita, ſufficienter, ni fallor, Perioſtei demonſtrata ſenſibilitas eſt in præcedentibus. Fuiſſe aliquando inſenſile, & tu vidiſti, & ego, & omnes: collecta tamen ſincera veterum experimenta, eademque cum Radniczkianis, Vandellianis, Italorumque pluribus, collata, ejusdem ſenſibilitatem patefaciunt. Quæſtio non eſt, an unus alterve inſenſile invenerit, ſed quid in genere de eo ſtatuendum ſit?

De Medulla, pergis, *nihil ego pronuntiavi; cur non pronuntiarem, rationem dedi, & cur me refutes, non video, niſi refutandi voluntatem.* Dure mecum, HALLERE, agis, ſed adhuc durius tecum. De Medulla nunquamne quid pronunciaveras? Non debueras, non potueras, contrarium ſciebas, pronuntiaveras tamen. En propria verba DISS. DE SENS. „ Deventer, Ambr. Paré, J. du Verney, „ & presque tous les Auteurs, s'accordent a dire, que la moëlle occaſione des vives ſouffrances. En ſententiam horum virorum, & ut ais, fere omnium Autorum propoſitam? Quæritur nunc utrum pronunciaveris tuam ſententiam, an vero nihil a parte tua aut affirmaveris, aut negaveris? En quæ reſpondes: „ Cela paroit ſans fondement, puisqu'elle eſt „ (1.) de la nature de la graiſſe, (2.)

„ &

„ & qu'elle ne reçoit aucun nerf. „ Hoccine nunc eſt nihil, aut negando, aut affirmando, pronunciare? Eſt ſane abſoluta negatio ſenſibilitatis, tum quia de natura adipis eſt, ſeu membranæ adipoſæ, quam abſolute inſenſilem pronunciaſti, & quia nervis caret, adeoque ſentire nequit. Hocque de medulla nihil pronunciare appellas?

Cogis porro iterum me, ut te tibi, qualis ſis, exhibeam. Du Verney in Animali, Van Deventer in Homine, de induſtria experimenta fecere, curioſi ſentiretne medulla, nec ne? Iteratis experimentis ille in Brutis, hic in hominibus, deprehendit ſenſilem. Quid nunc ad perſuadendam nobis hanc ſenſibilitatem efficacius? Tu autem nullum de medulla experimentum habens, „ je n'ai cependant aucun „ experience là deſſus „ ſtatuis ta-

men

men illorum ſententiam fundamento carere videri ; tum quod medulla ſit de natura adipoſæ membranæ, quam falſo negas ſentire, tum quod careat nervis, adeoque nullatenus ſentire poſſit.

Videsne, Vir egregie, quousque ſeducere te præoccupata mens potuerit ? Dum optima tibi ratiocinia proponuntur, recuſas illa ; vis experimenta ſola : ſi experimenta vera, reclamas contra ; quod nec accurate, nec de induſtria capta : ſi demum opponuntur tibi experimenta omni dubio majora, quibus obloqui ſenſatus nemo poſſit, ne memineris quidem illorum, ſed quaſi nullum feciſſent experimentum, dicis eos unanimiter duntaxat aſſerere, „ S'accordent à „ dire ; „ deinde faſſus te omni deſtitutum experimento, ratiocinio, peten-

tente principium, negas opinionem horum niti fundamento.

Igitur experimenta aliorum, etiam Barbitonſorum, recenſes, & magnificas, dum faveant tibi: recuſas, imo ignorare affectas, luculentiſſima omni exceptione majora experimenta, quæ falſam opinionem tuam demonſtrent. Si ſic agere pergis, opus ultra, opinor, non erit, refellere te; ſatis tua ſe ſcripta refellent.

Cor nunc aggrederis: *Cor dixi obtuſe ſentire, tu nihil quidquam. Nihil hoc valde ad me. Sed vide ut poſſis efficere, ut numeroſiſſimi, quos deſcripſi, nervi inſenſiles fiant. Me inconſtantem eſſe in obtuſo ſenſu adſignando cordis, miror tunc te ſcribere, quando mea loca excitas, in quibus conſtanter obtuſe dixi ſentire.*

Rationem, cur cordis inſenſibilitatem ſtatuerim, & propria mea, & alio-

aliorum experimenta, mihi dictarunt; cur illa, ſi non valida cenſeres, non refutaſti? Cur omnia illa anatomica experimenta, veluti non allata, tranſis? Ne ſis de eo, quæſo, inquietus, quo pacto poſſim cordis nervos inſenſibiles dicere. Sententia BOERHAAVIANA, imo BOERHAAVIO longe anterior, meris anatomicis & practicis experimentis innixa, plurium nervorum inſenſilitatem docuit dudum. Vides igitur quod ex enarratis experimentis nervos ad ſenſum, nervosque ad motum diſtinguens, facile me hac difficultate, quam mihi objicis, expediam. Vide tu, an ita facile extrices te. Cor numeroſiſſimos habens nervos, cur obtuſe tantum ſentiat, tu qui ita ſenſum a nervis deducis, ut quo plures pars nervos habeat, eo ſenſibilior illa ſit, expedias, quæſo, hunc nodum.

Sed

Sed erro ego : cor non habet numeroſiſſimos nervos. Ita ais anno 1757. ELEM. PHYS. Tom. I. p. 489.
„ Ego quidem neque in corde, neque
„ per Inteſtinorum membranam, ner-
„ vos numeroſiores reperio, quam
„ quidem ad muſculos ire ſolent, &
„ ſuperat certe nervorum copia lin-
„ gua, oculus, aliæque carnes pro
„ ſuæ molis portione. Idem etiam aſſeris DISS. DE IRRIT. pag. 76.

Hinc, alio loco dicis cor vix ſentire. Sane, inter nos convenit fere. DE IRRIT. pag. 46. „ Cor quod
„ valde admodum irritabile, non niſi
„ parum ſenſibile : tactumque illud
„ in homine, ſibi præſente, deliquium
„ potius, quam dolorem creat. Viden', HALLERE, quod pro me reſponderis ante ſexennium ad difficultatem, quam nunc mihi facis : „ Sed
„ vide ut poſſis efficere, ut NUME-

M „ RO-

„ ROSISSIMI, quos deſcripſi, nervi in-
„ ſenſiles fiant; tu dicis ipſe cor tam parum ſentire, ut deliquium potius quam dolorem excitet.

Tamen cor eſt admodum ſenſile: licet enim non plures nervos, imo minores habet, quam alii muſculi,
„ unicum eſt ut ideo cor magis irri-
„ tabile ſit, quod Nervi cordis ſen-
„ tientes INTIMÆ TUNICÆ CORDIS
„ VICINI, a ſanguine proximo comi-
„ nus ſtimulentur, atque adeo vehe-
„ mentior inde motus ſequatur, quam
„ quidem ab irritatione exterioris
„ partis alterius muſculi.

Ergo non eſt verum, quod cor ſit parum ſenſibile.

Etiam juvat intueri in ELEM. PHYS. id de nervis cordis paucioribus quam aliorum quorundam muſculorum, ſed ſenſibilioribus, eo quod nudæ intimæ cordis tunicæ viciniores ſint, quam alius

alius muſculi nervi, hoc, inquam, nunc pro certo affirmari; in Diſſertatione autem de Irritabilitate pro conjectura haberi, aſſerique, demum id explicari per anatomen non poſſe.

Sed falſum iterum eſt, cor non habere plures nervos, quam muſculos alios, aut habere minores. In hac Apologia tua habet numerosissimos. Non ultra nobis intelligibilia faris Hallere; ſaltem hoc tuum dogma, & eo eſſe ſenſibiliorem partem, quo pluribus nervis gaudeat, ut ubique doces, & partem numeroſiſſimis nervis gaudentem vix, & obtuſe modo ſentire, ut hic aſſeris, nobis, ſi poſſis, explices; quod ſi non poteris, ſaltem non me ultra crimineris, quod te hominum inconſtantiſſimum in docendo pronuntiaverim.

Adjungis: *Nimis es ſubtilis, pag. 80., Vir Ill.* Et in quo? *Actio del-*

toidis muſculi voluntaria eſt, convelle nervum, erit ſpontanea. Sic in tuſſi. Voluntaria eſt: retineri poteſt. Addam cauſam convellentem, tuſſies etiam invitus. Omnino tecum convenio, Vir Cl., ſi ſic ſcripſiſſes, nihil oppoſuiſſem. Cum igitur ſententiæ tuæ, contra quam ſcripſerim, oblitus videaris, repetam. Relatis experimentis, a N. 558. ad 564., quibus nobis abſurdiſſimum quid demonſtrare contendis, nempe Animalibus nullam tuſſim ab acrioribus tum fumis, tum liquoribus, excitari, ſubjungis: „ Cum
„ irritatio tuſſim non producat, li-
„ quet differentiam dari inter volun-
„ tarias actiones ad quas tuſſis perti-
„ net, & inter ſpontaneas. Spon-
„ tanea, qualis eſt ea cordis, ven-
„ triculi, inteſtinorum, etiam in ca-
„ davere generatur, vi ſtimuli. Ve-
„ rum nulla irritatio cogit animal,

„ etiam

„ etiam vivens, ad actiones, quæ a
„ voluntate dependeant.

Lectores hic facile videbunt 1. non nimiam meam ſubtilitatem, ſed craſſum tuum errorem, incuſandum eſſe. 2. Parum fidei omnibus experimentis tuis habendum eſſe, quia album & nigrum, diem & noctem, frigus & calorem, prout vis, proferunt. Pulmones fere inſenſiles inirritabilesque debebas pro ſyſtemate roborando habere; hinc tot tua, diſcipulique experimenta, demonſtrabant tuſſim eſſe actionem voluntariam, ſic quidem, ut etiam, quacumque fortiter convellente cauſa applicata, animalia illa non tuſſirent; jam vero comparatione facta cum irritatione nervi muſculi Deltoidis, fateris illa animalia irritatis pulmonis nervis tuſſiiſſe. Et ejusmodi fundamentis vento mobilioribus æternam ſuperſtrues Phyſiologiam!

Tuſſiunt animalia & non tuſſiunt prout vis. Commoda, ſed ridicula, experimenta!

Enormis tuus lien, pag. 82., urſit Ventriculum, urſit Diaphragma, urſit inteſtina. In diaphragmate ſedes doloris fuiſſe videtur. Lien minus tumidus, inflammationis principio, maxime doluit in ARETÆI exemplo, & in meo; ita ut videretur referre Pleuritidem; lien ſuppuratione maxime tumens, parum doluit. Ergo non a ficta quam das cauſa, ſed a nervis ſuis affectis primo multum, deinde nervis nimium preſſis, parum doluit. Confirmare tamen errorem tuum anniteris exemplo practico: *Tamen non dolebat*, inquis, *lien ille, abdomini æqualis Ill. olim* KOENIGII. An non memineris, Vir egregie, te mox dixiſſe in caſu mei hominis lienem non doluiſſe, ſed qui dolor affuiſſet, compreſſione tumentis lie-

lienis ad vicinum diaphragma natum eſſe ? Ergo debebat quoque Ill. Koenigius doluiſſe : ſed ais non doluiſſe. Ergo ille habuit inſenſilem lienem, inſenſile diaphragma, inſenſilia inteſtina. Eſt iterum nova obſervatio tuis de experimentis nata. Dicam tamen quid cauſa fuerit paucis : ut Aretæi æger, meusque, tumente parum ſplene, multum ; tumente valdopere, parum doluerunt, ex ratione antea data, ita Koenigius non doluit ſplene ita omnia viſcera nervosque comprimente, ut nervi ſenſui animæ referendo ultra non fuerint.

Hepar, renes, vulnere, ulcere vidi conſumi absque dolore, calculos latere in iis viſceribus. Tu, qui multa legis, noſti quam frequentes ejusmodi ſint hiſtoriæ. Et tamen mavis me carpere, mavis renes valde ſenſiles facere, pag. 84. Vidiſti, egregie Hallere, Hepar, vi-

diſti Renes, ulcere, vulnere, calculo affectos non dolere: nihil novi vidiſti: idem alii mecum viderunt. Ergo viſcera illa ſunt indolentia? Non ſequitur. Vidit HALLERUS viſcera hæc male habere, nec dolere; & defectu praxeos non vidit doluiſſe. Utique deficiente occaſione multa practica experimenta capiundi, ipſius fuiſſet alios conſulere, qui & plus ægrorum viſitaſſent, & plura ægrorum ſuorum denatorum incidiſſent cadavera. Inevitabilem hanc legem prætervidit; ſeque proinde & alios decepit. Practici plurimi, tam antiqui, quam recentiores, egoque, vidimus hæc viſcera affecta vix doluiſſe; aſt quoque vidimus doluiſſe vehementer. Quod autem ipſa hæc viſcera doluiſſent, pus, amurca, calculus, a morte in iiſdem deprehenſa, a poſteriore docuerunt.

No-

Noſtra ergo concluſio, melioribus, numeroſioribusque obſervatis ſuffulta, quam quibus Halleriana, hæcce eſt: Ergo quia caſus rariores indolentiam horum viſcerum, caſus infinito plures eorundem ſenſum demonſtrant, erunt hæc viſcera ſenſibilia vocanda.

Liceat ergo rem tibi ſerio proponere. Vidiſti, Vir Ill. inſenſiles tendines, ligamenta, oſſa, perioſtea, membranas, adipem, viſcera; ſed ut plurimum in Brutis. Attamen vidiſti, plurimæ Vir lectionis, numeroſiſſima teſtimonia, quæ hasce easdem partes in inflammatione, in vulnere, in ulcere, in operationibus Chirurgicis, & poſt morbos in cadaveribus, ſenſibiles demonſtraverant. Lubens equidem concedam tibi, experimenti vi multa tui, te hæſitabundum quandoque reddi potuiſſe, an

omnium ante te autorum obſervata ſufficienter probata forent? Concedo dubium augeri potuiſſe, quandoque ab iisdem ſcriptoribus enarrari nonnulla, quorum ſuſpecta fides: concedam etiam ultro inſenſibilitatis opinionem tibi plauſibiliorem adparere potuiſſe, dum eandem Antiquos recentioresque non latuiſſe deprehenderes. At vero hisce cunctis, & pluribus, ſi cupis, conceſſis, culpa prægrandi in medicam artem minime eximeris. Et nimia erant oppoſita tibi, & nimia tibi deerant, quam ut paradoxam tuam concluſionem evulgares.

Primo quippe videbas omnes illos, qui ante te inſenſiles quasdam partes, idque in homine maxime, notarant, easdem ideo univerſaliter indolentes non ſtatuiſſe; imo potius ex contrarii experimenti numeroſa frequentia, ſententiam de ſenſibilitate communem fuiſ-

fuiſſe ſecutos. Vidiſti, ſic agentes Viros bene multos, quibus ingenii acumine, & frequenti experientia, & fide, & veri amore, nec tu, Hallere, nec ego, ullo modo nos auderemus comparare. Hoc ſaltem a tam præpropera concluſione deterrere te debuiſſet.

Secundo, ipſa tua in Brutis capta experimenta debuiſſent prudentiorem te reddere. Enimvero quod Pragenses, quod Italorum plures, imitati experimenta tua, rem toties contrariam invenerint, abunde evincit idem pluries tibi contigiſſe. Impoſſibile quippe, ut id, quod tot alii viderint, etiam tu ſæpe non videris. Adeone ergo debuit ſemicocti ſyſtematis amor, vilisque famæ cupido, pellicere te, ut vocem naturæ ſuffocares, nulla horum in lucem edendo, niſi qui tibi faverent? Quam imprudenter male

ac-

acquiſitam famam proſtituiſti ? Utique ſi ob enarratas a me cauſas, Medicorum in frequenti clinica verſantium, ſi Chirurgorum celebrium, qui fidi, hic, idoneique teſtes, ſi denique Anatomicorum, qui tua in Brutis repeterent, obſervata multa collegiſſes, collectaque contuliſſes cum tuis, cognoviſſes tum hominum, tum brutorum experimenta non raro fallere, at vero a majore parte ſenſibilitatem, quam negaſti, confeſſus fuiſſes. Sed tunc nihil dixiſſes novi ! Fateor, ſed vera dicendo non fugacem, ut nunc ; at ſtabilem tibi condidiſſes honorem, tot laboribus confirmando, & demonſtrando, quod omni ab ævo creditum fuerat. Tandem ſubjungis : „ Nervi pauci ſunt in eo viſce„ re, liene, obtuſus ſenſus : „ cogita te mox dixiſſe : Nervi numeroſiſſimi in corde ſunt, obtuſus ſenſus. Confer

ſer tua, ſi potes; tranſeo interim ad alia.

Dolere panniculum adipoſum, *ais*, *pag.* 84. *doces*, *pene ſolus*, *quem absque ullo dolore ſuppuratio conſumit*, *&* *acus* *&* *alia corpora ſine ſenſu perambulant.* *Poterunt nervi, qui ad cutem tendunt*, *varie lædi*, (*Elem. Phyſ. Tom. I. p.* 50. 51.) *nihil hoc ad adipem*, *ad celluloſam telam.* Doces, id pene ſolus, ais. Itane? Quid ergo Galenus? quid Boerhaave? quid Ill. v. Zwieten? quid tota demum ſchola Boerhaaviana? Sed hoc nihil ad rem. Sim ſolus. Solus demonſtrabo nulla te principia ſequi, & theoria tua ita turbari, ut ignores ultra quid ſcribas. Panniculus adipoſus, & celluloſa membrana, eſt congeries vaſorum minimorum, tam arterioſorum, quam venoſorum, tum & cellularum, in quas ab arterioſo ſanguine oleum ſe-

ſecernitur. Sæpiſſime arteriæ hæ inflammantur, & cum ſint numeroſiſſimæ, producunt inflammationes latas, ac magnas. Vaſa hæc habent nervos, qui in inflammatione multis de cauſis dolent. 1. a diſtentis vaſis, unde etiam illi diſtenduntur. 2. a compreſſione, quam mutua multorum vaſorum diſtenſio facit. 3. a diſtentis arteriarum fibris minimis MUSCULOSIS. Hæc triplex cauſa doloris omnino diſtinguenda eſt ab illa cauſa, quam nervi, per panniculum adipoſum, & ſub cute, & ſupra muſculos; & ipſa demum in cute, hærentes, componunt. Poſtrema igitur hac cauſa ſejuncta ab illa triplici priore, dico ipſum panniculum adipoſum dolere oportere in inflammatione, quod in eo per innumera vaſa nervi innumeri ſint, & quod arteriæ habeant, te docente, fibras muſculares; „ ad quas

„ ſi-

„ fibras carneas omnes, ais, nervos ac-
„ cedere. Cum nulla absque nervo
„ fibra muſcularis ſit, & cum absque
„ ea vi, quæ per nervos advenit, de-
„ bilis omnino ſit ea potentia, qua eæ
„ fibræ contrahuntur. ELEM. PHYS.
Tom. I. pag. 70. Imo neceſſaria conſequentia tribuis hinc arteriis contractilitatem & etiam irritabilitatem;
„ Si, ais, fibræ carneæ in arteria ſint,
„ irritabilem ineſſe naturam neceſſe
„ eſt, cum inſeparabilia in corpore hu-
„ mano ſunt, muſculoſum eſſe, & ir-
„ ritabile. „ ibid. Equidem cauſaris ibidem eorundem nervulorum & tenuitatem & paucitatem, reſpectu reliquæ maſſæ Arteriæ, hinc exiguam eſſe oportere illam potentiam; at vero non conſideras nervos ſemper minimam facere partium maſſam; non conſideras paucos quidem nervos tamen innumeros eſſe, dum innumeræ

arteriæ in parvo ſpatio ſæpe inflammantur, adeoque innumeros nervos ſimul pati. Hinc ob innumeros nervulos & fibras muſculoſas, panniculus adipoſus ſecundum te dolere debet, quemadmodum omnes alii, qui naturam conſulunt, illum experiuntur dolentem. Negas ſic uno in loco HALLERE, quod in alio adſtruis. Quid vis, credamus?

Negantem tamen ſententiam roborare intendis aſſerendo: „ quod & „ acus, & alia corpora panniculum „ adipoſum ſine ſenſu perambulant. „ Hoc tibi jam in Diſſertatione mea conceſſeram, ea lege, ut, ſi hæc vera forent, ſimul agnoſceres acum in panniculum ſe penetrando, quoque cutim & ſubcutaneos nervos tranſire oportere; adeoque te probare Tyranno DIONYSIO & cutis & nervorum ſubcutaneorum inſenſilitatem adfuiſſe.

Mi-

Mirum tibi ſcribenti talia in oculos non inſilire! Dicamus potius millies in itinere veritatem offendere te oportere, millies repellere eandem, quo glorioſum tuum ſyſtema tueare.

Sic ſimul jam reſpondiſſe me arbitror ad ſequentia: *Quæ de cutis inſenſilitate contra me dicis, Vir Ill. pag. 9 1. ita miror tibi excidiſſe ut vix credam oculis. Centies repetii in experimentis meis, & amicorum, doluiſſe cutem, quando tendines absque ſenſu incidebantur.* Bruta tua, Vir Cl., quo tempore ipſi tendinem vulnerabas, doloris ſigna aut dederunt, aut non dederunt. Si non dederunt, etiam cute ſimul perſciſſa non doluerunt; ergo nimium probando nihil probas, cum ſic quoque cutis adeo tibi ſenſilis, adſtrueres inſenſilitatem: ſi ſigna doloris dederunt, quis tu, qui diſtinguas unde doleant; cutene an tendine? vel ab utroque?

An ipſa dixerint unde? Sed præterea dum ipſa illa quadrupedia perſciſſo tendine, adeoque & cute, mox currerent ſaltarentque alacriter, nullo doloris ſigno obſervato, concludo, ni fallor, merito tunc cutis inſenſilitatem, quam negas, admitti oportere; cum cutis tam graviter vulnerata tum quieto animali, tum maxime aut moto, aut movente ſe, vehementer dolere debuiſſet.

Hæc omnia nos docent hic multum nos latere. Dum animal, dum homo, vulnerato tendine, perioſteo, membranis, nervis, cute, muſculis, panniculo adipoſo, vel minus alio, atque alio tempore, dolet, vel nonnunquam minime dolet, & tamen ſæpe dolet vividiſſime, ut certi novimus; agnoſcere oportet de œconomia animali nos parum admodum ſcire: nota quædam nobis principia ejuſdem

dem eſſe, ſed plura, eaque præcipua, ignota: proinde adeo hic cæcutientes inſigniter nos errare, dum ex paucis notis principiis de natura, & proprietate animalium univerſa, ſententiam ferimus: proinde a nobis requiri duntaxat, ut ex frequentioribus obſervatis de natura, ac proprietate animalium, hominumque, ſententiam modeſte feramus; quæ vero rariora, & penitus a communi conſuetudine abludunt, nec mente aſſequimur, inter arcana reponamus illa, quæ in Medicis & Phyſicis plurima latere nos DEUS voluit. Summus mortalium poſt ADAMUM Philoſophus SALOMON horum nos abunde admonuerat: „ Cuncta fecit DEUS bona in tempore „ ſuo, & mundo tradidit diſputatio„ ni eorum: ut non inveniat homo „ opus, quod operatus eſt DEUS, „ ab initio, usque ad finem. „ Et

„ intellexi, quod omnium operum
„ DEI nullam poſſit homo invenire
„ rationem eorum, quæ fiunt ſub ſo-
„ le: & quanto plus laboraverit ad
„ quærendum, tanto minus inveniet:
„ etiam ſi dixerit Sapiens ſe noſſe,
„ non poterit reperire.

Si hæc ita ſe habent, quæ demum dementia eſt, illa ipſa arcana in leges formare naturales, & ſecundum eas velle infringere, & contorquere communia, frequentia, doctis indoctisque notiſſima, obſervata! Abyſſum, HALLERE, fodiſti tibi, qua, ni reſipiſcas, ſubmergaris oportet. Vidiſti per tot elapſa ſæcula ſyſtematum conditores quantumvis glorioſos & laudatos, quantumvis omnibus magnificos & celebratos, tamen inſtabili & caduca gloriola deciduos brevi evanuiſſe: cadet & tuum, te forte adhuc vivo, ſyſtema, ſive ſponte, ſive quis alius exſurgat,

gat, qui te argutior, novum, idque plauſibilius, condat, quod Medicos ab inſigni defectu tui nauſeantes, ſyſtematibus tamen ſatiandos, magis, ad tempus ſaltem, reficiat.

Reſumturus quædam de Pleura, ais: *Recte objicis de Pleuræ experimentis pag. 93. vitium ineſſe, quod ad eam membranam, niſi per aliarum partium vulnera accedi nequeat. Non poteſt evitari id incommodum* (*ſecond. Mem. p.* 214.), *& monui incommodum eſſe.* Cur ergo, Vir Eximie, pleuræ inſenſilitatem inde concluſiſti? Fateris concluſionem vitioſam, at facis tamen: imo tueris eam hac Apologia: *Non bene ideo negas,* ais, *experimenta docere quidquam.* Audiamus igitur, quid doceant! *Stringe, in eodem vulnere, nervum pleuræ impoſitum, videbis non quieturum, ubi pleura ambuſta quieſcit.* Bona verba! Hallere. Quæſtio inter nos non fuit, an

vivus nervus ſtringendo doleret, nec ne? Utrum pleura, amburendo mortua, adhuc ſentiret, an non ſentiret? De his binis arbitror nobis tecum convenire. Quid ergo velis? Ante mille & tot centenos annos, videbat ARETÆUS tendinem abſciſſum non dolere, ſed inde ejusdem inſenſibilitatem tantum aberat, uti concluderet Vir ſapiens, ut propter alia numeroſioraque obſervata ejusdem ſenſilitatem emphatice deſcriberet: Tu e contrario vitam pleuræ adurendo demens, vis ut eandem quoque, dum integra eſſet, inſenſilem fuiſſe credamus. Quid intendis, Vir Ill.? quo pervenis tandem?

Fateris tamen, agnoſco, experimenti incommodum, & vitium. Patere proinde ejusdem experimenti capturam minime vitioſam, & parum incommodam, indefatigatus RADNICZKY

te

te doceat, Sect. 4. Exp. 1. Minime ille avarus, ipſum equum veritati extorquendæ immolavit, pedibus illius arbori alligatis; dumque ſic denudatam prudentiſſime, lentiſſimeque, ne quem deciperet, pleuram examinaret, invenit illam non letifera ambuſtione, ſed ungium ſcalptu, ſenſibilem: metuensque demum ne forte erraret in ſenſilitatis demonſtratione, præ relictis forte hinc inde minimis fibris muſculoſis, eas nitebatur de pleura cunctas amovere, ut de ſola pleura evidens experimentum foret: ſed in difficili hoc labore forte contigit ut, vaſto ſe agitante animali, pleura uno in loco leviter perfoderetur. Conſilium ille in arena capiens, oblatamque arreptus fortunam, digito inducto pleuram ab interna parte egregie ſcalpſit. Tunc horrendum in modum contorquens, concutiensque ſe Equus, ſum-

mum pleuræ ſenſilitatem demonſtravit. Videbis eadem Sect. 4. idem experimentum in canibus, ſemper eodem modo, eodemque cum effectu, repetitum.

Hinc fere reſpondi ad ea quæ ſubjungis: *Etiam cutis ſollicitatio, cum a pleura lacerata ſigna doloris nulla naſcerentur, ejusmodi ſigna animali expreſſit.* Nihil miramur cutim vivam laceratam, dum ſollicitaretur, doluiſſe; ambuſtam pleuram, neutiquam; ſed miramur cur id, quod nemo negabit, tam ſtudioſe repetas? Nihil ad rem facit. Sed interim nobis ſuſpecta facis experimenta, quibus inſenſilitatem tendinis Achillis demonſtrans, ſimul narrares canes ilico cucurisse, ſaltaſſe, poſticis cruribus ambulaſſe, ſine vel minimo doloris ſigno: cutis tamen lacera erat, cutis in currendo ac ſaltando continuo agitabatur, contrecta-

ctabaturque; cur jam animal tuum, quando poſt vulneratam pleuram ipſi cutim modo ſollicitares, tanti dedit ſigna doloris? Certe aut in prima Diſſertatione mea recte videor conjecturaſſe; aut demonſtrare debes aliam cutis naturam in pectore, aliam in cruribus eſſe.

Penſum ſenſilitatis abſolvi; ſupereſt illud irritabilitatis, quam a pag. Apol. 23. ad 27. præcipue urges. Antequam vero ad ſingula reſpondeam, præfabor quæ pag. 120. jam innui, quando ajebas: „ Anne ſerio „ credis non eſſe cor irritabile? „ Sane in corde, in inteſtinis, in ventriculo, in pulmonibus, plurimisque aliis corporis partibus, irritabilitatem adeſſe credo, admitto, video, & ad multa in Pathologicis explicanda pro ſuggeſtu adhibeo. Hæc ex editis meis dudum noſſe debuiſſes. Attamen mul-

tum abſum, multum abeſſe debeo, &, ni abſim, errabo, ut credam partium actiones irritabilitate explicare me poſſe. Obſervata mea propria tum vivis capta in hominibus, tum in mortuis; obſervata omnium Anatomicorum ac Phyſiologorum, nec non Pathologorum, per omnia Medicinæ ſæcula, jubent me, conſideratis omnibus Irritabilitatis legibus, aliquid aliud, Irritabilitate longe potentius, in viſcerum actione, vitaque, agnoſcere; quod non in corde modo, ſed in aliis quibuscumque partibus, quid proprie ſit, ignoro, æternumque tecum, ut arbitror, ignorabo. Cur autem id ita credam, Pathologicis, atque Anatomicis demonſtrationibus, expoſui tibi. Has refellere, Vir Celeb., cum debuiſſes, non refelliſti, ſed a latere quaſi hinc inde quidquam arripuiſti, quo cavillare poſſes:

ad

ad has cavillationes reſpondere me cogis.

Incipis a venis. *De venarum irritabili natura repetis, me alias conceſſiſſe, negaſſe alias (pag. 98. ſeqq.) Ampliter hæc, multis paginis, & tamquam protriturus adverſarium, quem maluiſti habere, cum habuiſſes amicum.* Hæc inanis declamatio eſt, & aliud nihil. Amicum habere te, Vir Inclyte, eſt quod ſumme gauderem, quod præ multis cæteris ambirem fortunis, ſed nunquam diſpendio veritatis. Si me amicum nolis, niſi tuos tibi concedam errores, niſi eos ex cathedra laudem, niſi eosdem totius Phyſiologiæ & Pathologiæ baſin ponam, valdopere erras ſupponendo amicitiam tuam tanti emere me velle. Sola amicitia ea bona eſt, honeſta eſt, durabilis eſt, quam unicus veri colligit

git amor. Hanc ſolam ambio, colo; aliam quamcumque a me repello.

Videamus nunc quid intendas probare: *Lege Vir Ill. & reconciliare mecum. Dixi venas cavas, (Latine pag. 142. Gallice pag. 58. Second Memoire ſur les part. irrit. & ſenſ. Sect. 17. in numeroſiſſ. exp. Prim. Lin. Phyſiol. ann. 1751. pag. 66. n. 13. Elem. Phyſiol. L. IV. pag. 310. &c. In Experimentis de pullo T. II. pag. 117. Obſ. 285. 265. 268. 270.) quæ ad aures conveniunt, muſculoſas eſſe & irritabiles. Dixi in aliis venis neutram omnibus vim adparere. Conſtanter utrumque. Non negavi neque anno 1752. neque anno 1756. neque anno 1757. 1758. aut 1760. eam venæ cavæ ad cor proprietatem. Patere, molliter monebo, & poſſem aſpere. Non oportet, cum ipſe erres, me poſtulare erroris, mihique alieniſſimos a meis imputare ſenſus, ut quæ carpas habeas.*

Et

Et tamen eo unico uteris fundamento, ut fidem meis omnibus experimentis neges.

Quæſtio tota noſtra, quam, tam acriter blandiendo, urges, in eo, ni fallor, verſatur, utrum conſtanter idem, Vir Cl., de venarum irritabilitate docueris, an inconſtanter? Deinde, utrum experimenta tua enunciaverint perpetuo idem, an variaverint? Si ſemper idem & tu, & illa; læſi & tuam & illorum autoritatem: ſin contra; & tua & illorum merito ſuſpecta autoritas eſt. Procedamus igitur ad examen.

Dico ego usque ad annum 1756. doctrinam tuam, tuis experimentis innixam, ſtatuiſſe, quod venarum irritabilitas pene nulla ſit: „ Je regarde „ l'irritabilité des venes comme NUL- „ LE, ou du moins bien foible. „ Nec niſi PROPE COR aliquam admittis, quam obſervaveras quidem frequenter,

ter, ſed præcipue in animalibus frigidis: & cum facile quis irritabilitatem quandam, & motum in Thorace venarum, falſo concluderet a motu, qui venis tum a reſpirationis opera, tum a circumplectente cavam Diaphragmate, accidit, ſerio mones, ne inde decipiatur. Hoc nunc totum & integrum eſt, ipſiſſimis verbis tuis expreſſum, nec verbulo plus, quod ad annum 1756. conceſſiſti. Hæc docueras, hæc tua evincebant experimenta.

Opponamus hisce quæ prodierunt anno 1757. cum primo Tomo ELEM. PHYSIOL. In hoc Tomo memineris eorundem experimentorum, quæ prioris 1756. diſſertationis baſin poſueras. Hic nunc doces venæ cavæ partem non modo prope cor, ſed ad ſummum pectoris in cava deſcendente, atque ad usque Hepar in adſcenden-

den-

dente; non in frigidis præſertim animalibus, ſed & in calidis, ſed & in homine, muſculoſis fibris confirmari, irritabilemque induere naturam; eamque probe diſtinguendam ab illo motu, qui aut a reſpiratione, aut a circumplectente Cavam Diaphragmate, obſervari detur: ita ut inde naſcatur vere pulſus venoſus, a claris viris dudum in Tabulas medicas relatus; cujus pulſus conſtantia æqua ſpe cum auricula pugnare poſſit: vides me propriis verbis tuis ſenſa referre tua.

Parallela utraque hac doctrina poſita, conſtat usque ad annum 1756. 1. Venis omnem propemodum irritabilitatem negatam fuiſſe, niſi prope cor. 2. Illam venæ irritabilitatem prope cor obſervatam quidem ſæpius, ſed præcipue in frigidis animalibus. 3. Eſſe in Thoracis venis motum, qui irritabilitati falſo tribui poſſit, ſed quæ

ab

ab aliis cauſis pendeat. Huc usque, & non ultra, docuiſti; hoc & nihilo plus experimenta tua clamabant.

At vero ab anno vix unico inde elapſo, conſtat 1. non prope cor modo, ſed usque ad ſumma inferioraque Thoracis venam cavam eſſe irritabilem. 2. Irritabilitatem hanc non jam in frigidis potiſſimum animalibus, ſed & in calidis, ſed & in homine, conſpicuam eſſe. 3. Motum in cavis per Thoracem obſervatum jam non reſpirationi, non Diaphragmati, ſed muſculoſis cavæ fibris, irritabilitatis genetricibus, deberi. 4. Hunc motum, quis credere poſſit? obſcurum dubioſumve non eſſe, ſed clarum conſpicuumque ita, ut cum auriculæ motu certare poſſit, utque pulſus vere venoſus ſit admittendus. Eousque doctrinam hanc anni ſpatio mutaſti. Eousque mutarunt hanc tuam doctri-

nam

nam ea ipſa experimenta, quæ anno mox præterito adeo arctam eandem, limitatamque, dederant.

Nunc judicent, Hallere, Lectores æqui, an juſte non dixerim & te, in docendo; & experimenta tua, in teſtando; maximam varietatem, & inconſtantiam, teſtari? Retrahe igitur tuam, quam ais, & blandam monelam, & aſperam, ac culpam fatere. Cavebimus interim nobis ab experimentis tuis. Jam ad alia.

Nuditas nervorum cordis nihil facit ad naturam irritabilem (pag. 106.): Si faceret, eo citius occalleſceret. Ita tu quidem. Utique hanc difficultatem tibi propoſueram ex eo quod muſculi perpetuo agentes in aliis corporis locis occalleſcerent; quodque idem cur in corde, & maxime moto, & nudos nervos gerente, non contingeret, ex data tua doctrina percipere non poſ-

ſem. Tuum nunc eſt meum argumentum refellere, ſeu amovere difficultatem. Reſpondes : *Et tamen nervi inteſtinorum fere æque nudi ſunt, neque occalleſcunt.* Hoc non eſt reſpondere, Vir Ill. ſed principium petere. Ex antedictis noſti me irritabilitatem multis in partibus agnoſcere, verum ſimul ineptam, quæ omnes partium functiones expleat, earundemque explicet phænomena. Hinc æque parum tibi concedo irritabilitatem tuam, ut ſufficientem cauſam functionis Inteſtinorum, aliorumque viſcerum, quam Cordis. Ergo tu modo difficultatibus difficultates cumulas tibi, & nihil explicas mihi. Ergo non reſpondiſti.

Et tamen certum eſt, pergis, *leviſſima membrana fibras cordis a ſanguine defendi, eſſeque nudiores, quam usquam in corpore humano ſunt. Fibræ autem*

eæ

eæ nervos habent. Tu quæ ſenſus nos docent, OB CONSEQUENTIAM, *quam metuis, non vis vera eſſe.* Iraſcare, HALLERE, tibi, rogo, non mihi. Tu ipſe, me prior, hanc ipſam nervorum nuditatem in incerto poſuiſti. Fateris anno 1756. egregium Virum WHYTT conjecturaſſe eſſe cordis nervos cæteris ſenſibiliores : Fateris te ſuſpicatum tunc, an id forte, quod eſſent internæ Cordis ſuperficiei proximiores? ſed tantum aberat ut id affirmares, ut demum ſubjungeres : „ Mais il eſt difficile d'etayer ce SY- „ STEME, par des faits Anatomi- „ ques. „ Cum igitur ipſe rem dubiam reliquiſti, cum mihi dubium inde auxiſti, quid jam inveheris in me, quod rem ita ſe habere non credam?

Sed o fallor! Quod incertum tibi anno 1756. id jam in hac Apologia lego „ & certum eſſe „ & „ ſenſus

 „ nos

„ nos docere „ nervos in corde eſſe nudiores, quam usquam in corpore humano. Liceretne rogare quibus experimentis eadem certitudo a te, tuisve capta fuerit? Utique hic non addis ulla, & certi ſumus ea anno 1756. nec adfuiſſe, nec niſi difficillima captu abs te fuiſſe reputata.

Sint vero certa, ut nunc vis, quid juvent te? Si Irritabilismus tuus ad cordis negotium explicandum, ineptus eſt, parum refert num cordis nervi ſint nudiores: id autem ſequentia docebunt.

Prævidiſſe videris fore, ut primum reſponſum tuum ad cordis occaleſcentiam ab Inteſtinis petitum, non ſatisfaceret: hinc alterum excogitas, & tertium. *Crediderim*, ais, *ipſam humectationem perpetuam, calloſam degenerationem cordis impedire*: potius PROCRASTINARE, quam IMPEDIRE dixeris.

Vi-

Videris idem mecum cenſere, hinc tertio addis: *Quid ſi fatear me ignorare, cur non occaleſcant?* Utinam ad pleraque tua tam modeſte ſaperes! ſit itaque ſic: ignores: ignoro tecum. Interim difficultas mea haud inanis fuiſſe adparet.

Reſumendo tamen animum, *non tamen efficies*, inquis, *ne nervi hic nudiſſimi ſint omnium.* Maneant nudiſſimi, nihil inde lucraris. Mox dixi.

De Demetrio (*pag. 109. 114.*) *acerbo olim ob defenſam fidem Chriſtianam meo inimico, deque vi irritabili ab anima non pendente, iterum non æqua ſcribis, neque tibi ipſi probata.* Ergo *niſi dixero animam præſidere plantarum motibus, & gravitati, & elateri, & aliis motuum in mundo naſcentium cauſis, ero ego Atheus? aut favebo Atheis? Adeone aliter oportebit narrare experi-*

 men-

menta, ne religioni aliquid decedat, mentiri nempe, ne veritas patiatur?

St! nimis impetuoſe! Legiſtine mea, aut non legiſti? Nil eorum quæ tam acerbe mihi imputas, ſcripſi unquam. Honorem ſaltem tuum ſartum tectum ab omni ſuſpicione Atheiſmi ſervavi. Hæc enim, mota hac difficultate, pag. 109. ſcripſi: „ Ad hæc reſponſurus, primo facile „ admitto puram autoris hoc in negotio mentem eſſe, Religionisque „ amantem: „ an hoccine tandem eſt te aut Atheum vocare, aut Atheis faventem?) „ Sed enim vero ſi ille „ mecum corruptiſſimum hoc noſtrum, Atheumque ſæculum, contempletur, nonne fateatur oportet, caute admodum, circumſpectiſſimeque, circa ejusmodi obſcuras, & intricatas quæſtiones, agendum eſſe? Impius DE LA METTRIE

„ non-

„ nonne Irritabilitatis ſyſtemate abuſus
„ eſt, ut in ſuo ſceleſtiſſimo Tra-
„ ctatu, L'HOMME MACHINE, Ma-
„ terialiſmum propugnaret? „ Et
addidi pag. 111. „ Equidem fate-
„ ri debeo Celeberrimum HALLERUM
„ omnem moviſſe lapidem, quo in-
„ decoram hanc ſuſpicionem ab Irri-
„ tabilitate ſua removeret. „ Et
pag. 114. „ Igitur æſtumatiſſimus
„ autor per ſe intelligit non poſſe un-
„ quam Medicos, quibus Irritabi-
„ liſmum unguibus & roſtris tueri
„ animus eſt, ſufficienter circumſpe-
„ ctos eſſe, dum de ejusmodi rebus
„ ſermo eſt, eosque evitare oporte-
„ re, quascumque loquendi formu-
„ las, quæ ipſos poſſent de Impieta-
„ te, QUAM DETESTANTUR, ſuſpectos
„ reddere.

Judicent nunc Eruditi, adeo im-
petuoſum hoc loco te cernentes, num

1. Atheum te, aut Atheis faventem, dixerim? Et an non potius omnem ejusdem a te removi ſuſpicionem? Imo an potuerim ad hoc ſignificantius loqui? Judicent ſecundo, num circumſpectione a te in loquendo petita, voluerim te in factis referendis mentiri, ne quid decidat Religioni? Petivi circumſpecte loqui, non, mendaciter. Qui ſanctiſſimam noſtram Religionem mendacio tuendam arbitraretur, næ ipſam Religionem non intelligere ſe oſtenderet. Judicent tertio quam abſona tua illa comparatio ſit, inter motus plantarum, gravitatem, elaterem, res inanimatas, & hominem, animo & corpore conſtantem? Illa, ut ſuo more vegetent, vivant, agant, anima non egent: homo ut vivat, eget ea. Judicent quarto num is, qui recte ſapit, tamen ſyſtema ſuum non debeat cir-

cum-

cumſpecte proponere, ne qui ſint, qui ad perverſitatem ejus ſententia, autoritateve, abutantur?

Congeris deinde in unum multa meorum, Apol. tuæ pag. 25. *Sed cor non eſt irritabile, nam in cadaveribus non reperitur vacuum (pag. 119.); nam ad pericardium confricatur (pag. 128.) Non quieſceret irritatum, adeſſet ſtimulus.* De corde vacuo, aut non vacuo, mox ſermo erit; quæ vero ad Pericardium ſpectant, ea deſumta ſunt verbotenus ex Addendis tuis ad Tom. I. Elem. Phys. pag. 519. ubi pro conſuetudine per omnia mutabilis, penitus mutas ſententiam tuam, ibidem pag. 269. datam, & tunc demum tanquam ultimam tuam voluntatem ſic ſcribis: „ Ita hoc circa cor inane ſpatium in„ telligi oportet, ut omnino pleniſ„ ſima omnia eſſe memores ſimus,

„ atque totam cordis ſuperficiem a „ tota Pericardii ſuperficie tegi, niſi „ quantum tenuis illa aquula inter- „ cedit. Non eſt mea de Pericardio, Vir Cl. ſed tua ultima opinio, ex qua argumentum quoque contra Irritabilismum deſumſeram. Videris in reſponſo ad illud dando laborare; recenſendo enim non reſpondes. Hinc ego quoque tranſibo ad ſequentia, paucis teſtatus, ut hic circa Pericardium, ita alibi etiam circa nonnulla de corde irritato, non meam, ſed tuam ſententiam me ſequi; quia refellendus tu, per teipſum, mihi es. Ut profecto quicumque alius a te, hæc mea vellet ratiocinio Phyſiologico impugnare, ridicule ſane cum umbra pugnaturus eſſet.

Nempe non mori licebit, neque vires cordis poterunt fatiſcere, donec aliquid in ejus cavo eſt ſanguinis, donec aliquid

erit

erit irritamenti? Datne irritatio vires, an unice eas excitat, ut appareant? (*Studioſe diſtinxi ſollicitationem ad contractionem, quæ eſt ſtimuli, vimque contractilem, quæ in parte ipſa contractili ſedem habet Elem. Phyſiol. L. IV. p. 505.*) Ad dura iterum proferenda, Hallere, me cogis: non eſt in doctrina varianda ſimilis tui. Si a me rogas adeo indignabunde „ datne irritatio vi„ res; an unice eas excitat, ut „ appareant? „ Quando addis te hæc bina ſtudioſe diſtinxiſſe; cur nihilominus idem, quod ego tibi objeci, idem, quod nunc refellere tanto cum impetu conaris, tu totidem verbis ſcripſiſti, dum Autoribus, qui cor inaniri negaverant, reſpondes? Idque ipſiſſimo illo libro quarto, unde meas quæſtiones refellere tentas? Permitte, propria tua verba referam: „ Et primo, ſi inſignior ali-

„ qua

„ qua ſanguinis copia in corde ma-
„ neret, IRRITATIO PERPETUA
„ NASCERETUR, QUÆ CORDIS
„ PERENNES LABORES EXCI-
„ TARET, NEQUE SINERET EUM
„ MUSCULUM IN LEGITIMAM
„ LAXITATEM SE REMITTERE.
„ Circa tantillum enim aeris cum ſpu-
„ ma ſubacti, diutiſſime ſe cor ranæ
„ contrahit, & MINIMAM SAN-
„ GUINIS COPIAM AD CORDIS
„ MOTUM CIENDUM SUFFICE-
„ RE, per Apoplecticorum phæno-
„ mena perſuaſus docuit olim A. PIT-
„ CARNE, CUM QUO VIRO MEA
„ EXPERIMENTA CONSENTIUNT. „
Vides ergo clare, Vir Cl., ex proprio, eoque recentiore, & quod magnum Opus vocare amas, libro, me perfectiſſime eo tempore tecum ſenſiſſe, nec culpæ meæ, ſed tuæ, imputandum eſſe, quod in APOLOGIA

TUA,

TUA, ab ELEM. TUIS PHYS. recedas.

Quam ſollicite tueris ubique HALLERE, notiſſimum tuum inconſtantiæ, ſæpe voluntariæ, caracterem! Scilicet ſententia tua, ſolis innixa experimentis, dum me, etiam tecum ſentientem, invadere tamen geſtis, ea eſt, ut ſanguis cor irritet quidem, vires vero ad agendum minime det; dum vero res tibi cum illis eſt, qui notabiliorem ſanguinis copiam in corde manere experimentis evicerant, ſententia tua, ſolis quoque experimentis innixa, eſt ea, ut „ ſi inſi-
„ gnior aliqua ſanguinis copia in cor-
„ de maneret, irritatio perpetua na-
„ ſceretur, QUÆ CORDIS PERENNES
„ LABORES excitaret, neque ſineret
„ eum muſculum IN LEGITIMAM
„ LAXITATEM ſe remittere . . . .
„ & MINIMAM SANGUINIS COPIAM

„ AD

„ AD CORDIS MOTUM CIENDUM
„ SUFFICERE, tum PITCARNII, tum
„ tua te docent experimenta. Nam,
„ ſubjungis, cum cordis ventriculos
„ in vivo animali, quantum pote-
„ ram, premendo evacuaſſem, TA-
„ MEN EXIGUA, quæ ſupererat co-
„ pia, COR NON SIVIT QUIESCERE. „
En propria verba tua, quæ docuiſti pridem, ſed quæ, quod iisdem utar ego, refutare amas. Sufficiat igitur tibi opponenti ex te ponente reſpondiſſe. Interim valeant experimenta, quæ album & nigrum, prout vis, referant! Valeat ſyſtema, quod ejusmodi ſuperſtructum fundamentis!

Pejus adhuc, quod ſequitur, eſt. *Et licebit ejusmodi rationes objicere experimentis, quæ docent, cor perfecte expalleſcere in ranis (ſecond Memoire exp. 487. 492. 524. 546. 549.) in pullo (T. II. pag. 109. T. I. obſ. 56.*

56. 59. 63. 68. 71. 74. 78. 79. 81. 82. 83. 85. 105. 119. 121. 127. 132. 138. 148.), atque adeo perfecte inaniri. Si autem evacuatur, potuit puto evacuari. Sed neque adeo rarum eſt, in homine inane reperiri, inque infantibus matrum nefariarum manu occiſis etiam familiare.

Primo ex animalibus frigidis, & ex pullo nondum naturaliter excluſo, argumenta affers, quæ ad animalia calida, vitamque perfectam, nullam habent relationem. Id ipſe olim docueras, ut jam ante oſtendi, PRÆLECT. IN INSTIT. B. VOL. 2. PAG. 601. „ Mirabilis aptitudo ad motum, quæ in quibusdam animalibus eſt, in noſtro certe corpore non obſervatur, neque poteſt opponi experimentis. . . . . De Ranarum & Piſcium motibus non ſumus ſolliciti, quarum vel in plan-

„ tis

„ tis analogia extat, indicio ALIIS
„ LEGIBUS EA CORPORA REGI.

Secundo, experimenta tua, dum contra me diſputas, docent cor omnino inaniri in frigidis animalibus. Conceſſeram ego eo uſque inaniri, ut per eorum membranacea corda non rubeat ſanguis, ut ante, ſed non ut ne guttula quidem ſuperſit: Non, ais, ſed perfecte evacuatur: & tamen nihil dixeram, niſi quod tu in novo magno opere totidem verbis dixeras, inquiendo: „ Deinde in animalibus quidem frigidi ſanguinis
„ cor in ſyſtole expalleſcit per toties
„ repetita experimenta (Exp. 517.
„ 518. 519.): omnino vero non
„ non poſſet palleſcere, niſi ſangui-
„ nem caveis ſuis contentum HAC-
„ TENUS expuliſſet, UT NON EA SU-
„ PERESSET COPIA, QUÆ PER ALBAM
„ CARNEM PELLUCERE, ET RUBOREM

„ DIA-

„ DIASTOLES IN SYSTOLE CONSERVARE „ POSSET. „ Adeone promtum & facilem refutandi animum tibi eſſe oportuit, ut etiamſi propria tua verba, ac proprio tuo ſenſu, in ore Adverſariorum deprehenderis, refutanda tamen cenſeas?

Sed tertio, tota noſtra quæſtio eſt de calidis animalibus, ac de homine potiſſimum. Ipſe tu in novo opere de animali calido ſcribis: „ Cor in „ ſua contractione omnino non ex- „ palleſcit, ut neque ullus alius mu- „ ſculus ruborem ſuum, dum con- „ trahitur, unquam deponit. Mil- „ lies vidi in omni genere animalium „ calidi ſanguinis, avium pariter, & „ quadrupedum . . . . Hinc per- „ petuus rubor reſidet majoribus ca- „ lidis animalibus, quibus cor craſ- „ ſum eſt, neque ſinit ventriculorum „ ſanguinem pellucere.

 Jam

Jam rogatum te velim, Vir Cl., cur demum velis in tua Apologia concludere cordis humani integram evacuationem, quandoquidem ipſe in magno opere doces, nec in frigidis perfecte evacuari, nec in calidis unquam poſſe demonſtrari? Quid hæc verba, repeto, ſignificent: „ Et licebit ejus-
„ modi rationes objicere experimen-
„ tis, quæ docent, cor perfecte ex-
„ palleſcere in ranis, in pullo, atque
„ adeo PERFECTE inaniri? Lege propria opera tua, invenies meum reſponſum.

Verum nondum ad omne quæſitum meum reſpondiſti. Cor in homine integre ſe nunquam evacuare, irrefragabilibus ſummorum in arte virorum experimentis, pag. 121. DIFF. MEARUM, oſtenderam. Quibus demum hæc ſubjunxeram pag. 123. „ Si hæc, in-
„ quam, omnia colligamus, dicere-
„ mus

„ mus evictum eſſe, quod cor ſe non
„ integre evacuet. Sed ipſa fabri-
„ ca, ut dixi, valvularum, id in-
„ nuit. Cor dum evacuat ſe, non
„ projicit ſanguinem in Arteriam;
„ quippe quæ plena ſit, cordisque
„ ſanguini reſiſtat. Vires vero cor-
„ dis magnæ adplicant, adponunt,
„ & protrudendo totam maſſam, ſi-
„ ve columnam, locant ſuum ſan-
„ guinem ita, ut unica columna
„ nunc ſit, a parietibus cordis inci-
„ piens, & per univerſam pergens
„ arteriam. Arteriæ, hac vi dila-
„ tatæ, ſua propria vi ſe reſtituunt,
„ pelluntque & ſurſum ſanguinem,
„ & deorſum. Ne autem in cor re-
„ primatur ſanguis, Valvulæ obſunt.
„ Sed hæ tres valvulæ momento an-
„ tea parietibus arteriæ adplicitæ,
„ dum deorſum vergunt, columnam
„ ſanguinis oblique ſecant, & ali-

„ quam ejus copiam neceſſario ſub
„ ſe deprimunt verſus cor, dum il-
„ lud elongatur. Impoſſibile ſane
„ eſt ex ipſa partium fabrica aliam
„ habere ideam.

Ad hæc autem, Vir Illuſtr., reſponſum debebas, ſi cor integre evacuare ſe crederes, nec reſpondiſti tamen. Crediderim nihilominus clare memet enunciaſſe: ſin vero haud ſufficienter me intellexeris, paucis dicta elucidabo.

Si Arteriam penitus vacuam in abſtracto conſidero, poſſem communi ſcriptorum medicorum more id affirmare, quod cor ſanguinem ſuum PROJICIAT in arteriam. Sin vero arteriam contemplor pleniſſimam eadem materia, quam quæ nunc in illam ingredietur, non poſſum voce PROJECTIONIS, niſi improprie, uti. Cor igitur evacuans ſe, invenit quidem reſi-

reſiſtentiam plenæ arteriæ, ſed viribus valentius, dilatat emiſſo ſanguine ſuo arteriam, ſibique pro eo locando ſpatium creat, recedentibus arteriæ parietibus. Hoc momento phyſico ſanguis, corde pulſus, hæret locatus inter baſin columnæ ſanguinis, qui antea in arteria erat, inter dilatatos arteriæ parietes, erectasque valvulas, & inter fundum contracti cordis ventriculi. Mox altero momento & cor contractum laxari inchoat, & dilatata contrahi arteria. Contrahente ſe arteria, ſanguis premitur tum verſus fines arteriarum, tum verſus cor. Valvulæ & a retropreſſo ſanguine verſus cor, & a fibris tendineis, quibus cum interno corde cohærent, laxante ſe corde, deprimuntur. Porro hæ, antequam deprimerentur, ſanguinem habebant & ante ſe, & ſub ſe, & ſupra ſe. Dum ergo depri-

muntur, debent cadendo ſecare ſanguinis undam, ſeu columnam, quæ, dum ſtabant apertæ, intererat. Ergo cadendo intercipiunt inter ſe, interque ventriculos cavos cordis, ſanguinem. Ergo neutro in ventriculo cor integre vacuum eſt unquam. Qui ſecus ſtatuerit, ſcilicet ſanguinem a valvulis verſus cor non intercludi, deberet probare poſſe, quod cor, evacuans ſe, & ſanguinem ſuum, quem evacuat, & columnam in arteria præexiſtentem, ita elevaſſet ſupra valvularum erectarum margines, ut illæ cadentes, jam nullum intercipere ſanguinem potuiſſent. Ergo jam totius protruſæ maſſæ baſis, nunc ſuſpenſa, in vacuo hæreret 2. 3. lineas ſupra oram ventriculi cujusque. Sed jam ingens vacuum conciperetur, inter baſin protruſi cruoris, & cavi cordis fundum. In hoc porro vacuum arterio-

terioſus ſanguis longe facilius, contrahente ſe arteria, recideret, quam ut reſiſtentiam ad capillaria ſuperaret, turbaretque circulationem, cordisque actionem, quovis momento.

Si ergo impoſſibile eſt hic ejusmodi vacuum fingere, evidens ſit, quod valvulæ verſus cor retrocedentes, ſanguinem, a quo apertæ tenebantur, ſemper intercipiant, & cordi reapplicent.

Dum igitur video primo exempla frigidorum animalium nihil probare, ob naturæ differentiam: ſecundo, neque in iisdem integram cordis evacuationem probari poſſe: tertio, in animalibus calidis nihil omnino hic poſſe demonſtrari: quarto, optimorum virorum teſtimonio, & quotidiana anatome integram cordis evacuationem negari: quinto, phyſiologicum ratiocinium hoc maxime con-

firmare : ſexto, totum hoc inter ſe connexum argumentum adeo difficile tibi viſum eſſe, ut reſponſionem ne periclitatus quidem fueris ; condemnare, Vir Ill., minime me poteris, quod cordis integram evacuationem tibi negem, adeoque palmarium Irritabilitatis tuæ argumentum tibi demam.

Antequam hunc articulum abſolvam, obſervata quædam addere convenit. Dedi Tom. VI. Rat. Med. integrum, idque longius, Caput de Problematibus Medicis, in quibus certe multa ad rem præſentem. Ac primum quidem & alterum Problema exempla præbent vitæ citra ſanguinem fere : tertium exhibet cor tam monſtroſæ molis, ut utrumque ferme thoracem expleret ; rigidum adeo in carnoſa ſiniſtri ventriculi parte, ut contrahi nullatenus potuerit ; adeo amplum, ut, capta exacte menſura, ul-

ultra duas aquæ libras ſuis contineret in cavis; valvulis ratione cordis ita exiguis, ut ingens ſemper ſupereſſet hiatus; aortæ principium oſſeum, immobile; aortæ diametrum ſedecim linearum; præ compreſſione pulmones minimos, ob eandemque cauſam ægre transmittentes ſanguinem; attamen vitam cum degeneribus tantopere partibus longiore tempore ſic productam, ut organa vitalia ac reſpiratoria parum admodum affecta eſſe viderentur, utque mortalium nemo quidpiam tale in anatome expectaſſet. Quartum Problema refert nobis cor $1\frac{1}{2}$ Libr. aq. ſuis in cavis comprehendens, oſſiculum 8. linearum prominens in ſiniſtri ventriculi cavum, duras partimque oſſeas valvulas, aortæ a corde ad uſque curvaturam ſuam diametrum ſedecim linearum, ſpatium inter clauſas valvulas vacuum tale, ut na-

naturalis magnitudinis aortam transmittere poſſet. Quintum denique oſtendit cor, pericardium, pulmones, diaphragma, pleuram, veluti unicum ſolidum, totum quidem, ſed non partitim mobile, firmiſſima, indiſſolubili, partimque carnoſa concretione, coagmentatum, &c.

Quid hic, ad vitam intelligendam cor tuum, Optime HALLERE, irritabile? quid tuus irritans ſanguis? Vitam utique nullam fuiſſe, ſi ab his pendiſſet cauſis, intelligas. Velimus, nolimus, fateri cogimur, nec ſyſtemata antiqua, nec recentia, nec tuum, hic aliquid valere. Novimus generalia quædam circa functiones vitales, animales, naturales, dum eædem ad leges mechanicas & hydraulicas multis in rebus perficiuntur; at vero plurima ignoramus, quæ ADORANDUS NOSTRÆ FABRICÆ OPIFEX, au-

autor, & fons vitæ, in vita humana creanda, perpetuandaque, libera agit voluntate. Secundum propria principia tua, non potui tibi concedere vitam humanam, dum ordinaria lege peragitur, tua irritabilitate dirigi ac perennare; quanto minus idem tibi concedere potero, dum leges prorſum ignotas vitæ obſervat modus? Efficis profecto ut intelligendo intelligas nihil. Efficis ut pauculum, quod notis in rebus cum voluptate admiraremur, id perdamus omne, dum nos per inania volitare velis. Sinas hic aurea magni ALBINI verba ex Acad. ann. Libr. 2. Cap. 18. adſcribam:
„ Quomodo autem fiat, ut (penis)
„ irritamento illi pareat, non magis,
„ ni fallor, intelligas, quam quo-
„ modo volenti muſculus obediat, ab
„ ira cor turgeat & pectus, in aſpe-
„ ctibus quos amor ciet, oculi, ut

„ Ve-

„ Verulamius ait, ſubito ſcintillent.
„ Quæ qui explicare conetur, vereor
„ ne aliud quidquam conſequatur,
„ quam ut ſuæ imbecillitatis argu-
„ menta præbeat . . . . Corpo-
„ reis cauſis intenti, PRÆTEREUN-
„ TESQUE QUAM OPIFICIS PO-
„ TENTIA INDIDIT VIM CIEN-
„ TEM, MULTIPOTENTEM, non-
„ ne fraudamus nos meliore, opibus-
„ que uberrimis affluentes reddimus
„ Iro pauperiores?

Auriculæ ſanguine coacto plenæ (*pag.* 129.) *non pulſant. Reſponderat* Cl. HOUSSETUS, *commune id eſſe ventriculo, veſicæ urinariæ, inteſtinis. Omnibus ſuum eſſe modum, ultra quem diſtenta reſolvantur. Tu expectare noluiſti, dum legiſſes. Similia tamen de veſica, de ventriculo,* PRÆCEPTOR *noſter docebat. Non eo minus ea receptacula irritabilia ſunt.*

Opti-

Optime feciſſes, Vir Cl., ſi hanc meam 129. paginam inſalutatam tranſiviſſes. Cum enim, quæ ibidem dixeram, refutare non poſſes, fingis me alia dixiſſe, quæ ne cogitare quidem potui, quæque egregie refutas. Sic Victor videris meæ diſſertationis ignaris, ſed ejusdem conſciis admodum ſuſpectus. Igitur ſic res ſe habet: Ex eo, quod multis experimentis, ibidem laudatis, docuiſſes cor, aorta ligata, diſtentiſſimum ſanguine „ gonflé de ſang „ & „ extremement rempli „ tamen alterne, integro quadrihorio agere, concluſeram ego: „ Si cor in ſtatu hoc diaſtolen & ſyſtolen per 4. horas continuat, abſentia ſanguinis venoſi, ut irritantis, non eſt cauſa diaſtoles: irritans enim cauſa aderat perpetuo, & fiebat tamen diaſtole. „ Tibi nunc incumbebat probare, ni-

hil-

hilominus venoſi ſanguinis, ut irritantis, abſentiam, eſſe cauſam diaſtoles. Aſt nihil horum: Fingere me audes veluti objicientem tibi rem cuique notam, ſcilicet partes ultra modum extentas, vires perdere. Fingere me audes veluti inepte tibi objicientem quod Auriculæ ſanguine coacto plenæ non pulſent: id quod ex generali corporum poſt nimiam diſtenſionem paralyticorum lege, pulcre, ſed aëra verberando, ſolvis.

Cor laxatur, etiam absque inanitione (pag. 130.). Nonne idem prior dixi (Elem. Phyſiol. L. IV. p. 490.), & ea experimenta protuli, quæ tu, Vir Cl., mihi objicis? Omnes muſculi alternas habent contractiones, & laxitatis vices. Et tamen, qui cor ranæ volet inflare, videbit, circa eum aerem agitari perpetuo, celeriter vero quieſcere, (ſecond Memoir. Exper. 512. 513. 514.

514. 515. 518. 519. 520. 521. 522. *Whytt pag.* 351. *Caldan. pag.* 327. 328.) *ſi aerem expreſſeris. Etiam hanc tuam objectionem multis experimentis exceperat Caldanus* (*p.* 327. 328.)

Fateor, ſcripſi, cor etiam absque inanitione relaxari; idque his verbis: „ Cor poteſt habere vio-„ lentiſſimæ contractionis in ſe cau-„ ſas, ita ut inde continuo contra-„ ctum manere deberet; attamen „ relaxat ſe. „ Reſpondes ad hæc: „ „ Nonne idem prior dixi, & ea ex-„ perimenta protuli, quæ tu, Vir Cl. „ mihi objicis? Videamus quæ ego experimenta attuli, quæ tu, in binis reciprocis citationibus. Ego decem exempla attuli hominum, quibus lapides in corde fuerant; tu nullum. Ego quatuor exempla oſſium cordis; tu nullum. Ego quinque exempla

Ver-

Vermium Cordis, aut Pericardii; tu, HALLERE, nullum. Quid igitur jactas te dixiſſe eadem priorem, protuliſſe ea experimenta, quæ tibi objeci? Quibus denique artificiis conaris homines non mea, ſed tua duntaxat legentes, capere & faſcinare! Ergo manent mea argumenta inconcuſſa, quæque inde deductæ, concluſiones. Nec tu, nec CALDANUS, quæſtionem tetigiſtis.

Sed in corde morbi ſunt, non ergo a ſanguine irritatur (*pag.* 136.), *maneret enim perpetim contractum.* Non ſic dixi. Allatis exemplis Calculorum ac Vermium cordis, concluſi irritationem non eſſe præcipuam agentis cordis cauſam, irritantis abſentiam non eſſe præcipuam cauſam cordis laxati; ſiquidem cum perpetuis, cum fortiſſimis hisce irritamentis, alterne, licet plus minus vitioſe, contractum laxatumque cor fuerit. Videamus quid ad hæc regeras.

Sunt

Sunt & in inteſtinis, & in utero morbi, & eorum irritabilis natura tamen non obſcura eſt. Novi in Inteſtinis & utero morbos gigni, ſed pluries negavi per irritabilitatem, uteri, inteſtinorum, & quarumcumque aliarum partium, actiones omnes, & præcipuas, explicari poſſe. Eſt iterum principii petitio. Ergo nihil dictum.

Irritatur utique ab his tumoribus muſculus ſumme irritabilis, & male quieſcit, & palpitationes patitur. Ita vidi, & tu ex aliis excitas. Si concedas cor, ſumme irritabilem muſculum, ab hisce præternaturalibus in eo rebus irritari, debes concedere cor etiam irritatum contrahi: debes concedere, dum volvatur perpetuo in eo lapis, dum repunt in eo vermes, cor ſic contrahi oportere, ut venoſum ſanguinem non admittat, & ut tota Circulatio ſiſtatur; etenim longe violentior ab iſtis fit ir-

ritatio, quam a venoſo ſanguine. Atqui tamen cor non ceſſavit, licet vitioſe, alterne agere. Ergo eſt aliud quid immenſum ab irritatione diverſum, quod cordis reciprocam producat actionem & defectum. Memento duntaxat aſſeruiſſe te „ quod ab inſigniore „ ſanguinis, in corde manentis, copia, „ IRRITATIO PERPETUA NASCERETUR : „ memento dixiſſe te „ quod minima „ ſanguinis copia ad cordis motum „ ciendum ſufficiat „ : memento te priora confirmaſſe exemplo cordis in vivo animali a te, quantum poſſibile, premendo evacuati, „ nec tamen a „ tam exigua copia quæ ſupereſſet, a „ motu quieſcere valentis.

Deinde hæc vitia ſunt fere celluloſæ telæ, exterius cordi circumjectæ: ſed interior facies cordis, & inteſtinorum potiſſimum irritabilis eſt. Duo ad hæc reſpondeo: Calculi in cordis cavo, ibidem-

demque vermes hoſpitantes; tumores duri, & oſſicula, in interno cordis cavo conſpicua, & eminentia, tu, in orbe ſolus, vitia externæ cordis telæ vocabis, nos propria appellatione res phyſicas in cavis cordis exiſtentes. Secundo inconſtantiæ tuæ & doctrinæ, & experimentorum, renovas exemplum. Hic vix conſiderari vis externi cordis irritabilitatem, ſed interiorem ejus faciem potiſſimum irritabilem vocas; dum tamen experimentis indiges, quæ aliam ob cauſam etiam externum cor, licet interno minus, tamen maximopere irritabile demonſtrent, ilico docent tua plurima experimenta cor externum, quocumque in puncto, quocumque etiam leviſſimo inſtrumento, digito, aqua, flatu, tangatur, valde irritabile eſſe. Commodum ſyſtema! commoda experimenta! ſed quo commodiora, eo deſpectiora.

De glutine non valde quæro. Non bene mucum vocas. TYSSOTUS ſic me docuerat: ſit ergo, pro muco, gluten. *Hypotheſis eſt, cauſæ viſcera non ingreditur. Brevis vitæ ſpatium non ſinit in conjecturis tuendis verſari: ſed reſpondi dudum ad objectiones tuarum ſimiles.* Haud tamen ut meram conjecturam hoc dederas, ſub finem DISS. 2. DE IRRIT.: non ut meram ſane conjecturam conſideraverat egregius in famoſa præfatione TYSSOTUS, dum pulcerrimas, ut putabat, certiſſimasque Diagnoſeos, Prognoſeos, ac Methodi medendi Regulas, ab hoc glutine, ut irritabilitatis ſede, deduceret. Quo ſyſtema tuum, Vir Cl. tibi commodius eſt, eo eſt Diſcipulis tuis incommodius. Tu evulgas illud: illi idem amplexi, atque ut baſin theoriæ & praxeos medicæ adorantes, Diagnoſin & Therapeian illi inædificant. Interim tu ab Adverſariis

preſ-

preſſus, & mutas ſyſtema, & experimenta mille modis; imo veluti vagam demum conjecturam dimittis, ut præſenti exemplo conſtat. Sic quidem expedis te ab adverſariorum tuorum aggreſſu, ſed miſeros, ſed deſolatos, ſed deſperabundos relinquis Diſcipulos tuos, qui demum vident in fumum & vaporem abire ædificium ſuum Medicum, quod utique Halleriana autoritate æternum crediderant. Expecto ab ipſis, ut triſti hac experientia moniti, tuas tibi ideas & experimenta tecum deinceps habitare, & commori ſinant, veramque Praxim Hippocratis potius, ſeu Naturæ, legibus metiantur. Interea expectabimus Irritabilitatis tuæ novam ſedem. Sequitur operis concluſio.

Legi adeo, & cum ſtudio, opus tuum Ill. *de* Haen, *ejusque momenta excerpſi:* legiſti tamen adeo, Ill. Hallere, ut, quæ te maxime ſtringerent, quando-

que vix, quandoque ne vix quidem, quandoque etiam maxime mutata, & a mea intentione aliena reddita, & diſtorta, quo refutandi cauſam haberes, attigeris. *Nam quæ ad rem irritabilem aut ſenſibilem, non faciunt, ſæpe ideo unice ſcripta, ut me deprimeres, ego quidem gnarus omitto.* Scilicet, quia & ætas tua, dum Leydam appuliſſes, & vita Leydenſis, & Scripta tua frigidis adornata manibus, & ætas ALBINI, & Præparata RAVII, & TYSSOTI nimium erga te propenſus animus, & quas ex aliorum Scriptis profuſas laudes deleveris, aut corripueris; quum, inquam, omnia hæc ad rem irritabilem, & ſenſibilem, tantopere faciant, ideo plures Apologiæ tuæ paginas illis complevisti. *Video te, voluntatem contra me attuliſſe ſummam; ſed verſaris, patere ut verum occinam, in ſtadio a vita tua alieno;* imo in ſtadio vitæ meæ inevitabili,

&

& neceſſario, ut pluries jam expoſui, & in quo erga indecora, inepta, & noxia ſyſtemata, me ita gerere, ac verſari pergam. *Sit tua laus in curandis cariſſimis capitibus feliciter laborare, & ſaluti populi præeſſe. Sufficiat tibi is honor* : Intellexiſti ex præcedentibus munus Archiatri me profeſſorio officio integrum ſervare; adeoque Pathologiam promovere, & tueri, eſſe a meo munere inſeparabile. *Sine nos humili in anatomes ſtudio verſari, & credere viſis.* Sinam; modo noſtra ſimplicitate inde, quod hucusque turpiter feciſti, non abutaris. *Utinam brevior nos disjungeret locorum diſtantia!* Rem mihi exoptas ſane gratiſſimam. *Non deſpero, me tuum aſſenſum impetraturum oſtenſis, quæ meum exegerunt, alia docto, alia perſuaſo. (Senſiles eſſe tendines ſcripſeram Comm. ad prælect.* Boerh. *T. III. p. 467. duramque matrem T. II. p. 366.)*

Nam

Nam ea frequens fortuna noſtrorum experimentorum fuit, ut viros tecum incredulos convincerent. Credere tamen deberes, me ad tua experimenta, nec præoccupatum, nec cæcum, acceſſurum; adeoque non te, ſed experimenta tua mihi loqui oportere, ſi quid agere mecum velles. Sed proximiores erimus nunquam: remoti longe ſemper vivemus.

Finem facio, Vir Ill. aſſerendo quod quævis edenda tua, ſi ſanam doctrinam poſtliminio contineant, ita mea facturus ſim, ut tuo ea nomine lætus evulgem, Pathologicisque inſeram meis: ſin vero aut edita jam, ſed Librariorum ſocordia adhuc ignota mihi, aut poſtmodum edenda, fundamento inani nitantur, ſanæque adverſentur doctrinæ, Studioſos meos voce, Scriptisque, monebo ſemper.

(*)

dup
g + part
m arr
2/5/00